

✓  
1384/11/14

263



SERENISSIMI PRINCIPIS  
EMMANVELIS THEODOSII  
A TVRRE ARVERNIÆ  
DVCIS ALBRETENSIS,  
CARDINALIS RENVNTIATI  
*ICONISMVS.*

I.

Augurium Pueritiæ.



ERCULES vel in cunis Herculem egit:  
Tv, quid tandem, qualis,  
ac quantus futurus effes,  
PRINCEPS SERENISSIME,  
Ay

1256398

27

4  
à teneris quasi præmonuisti.

Dion Cass. *Dictum est alicubi Cæsar is infantiam prophetasse ;*  
*quod & de Divis perhibent Nicolao,*  
*Athanasio, Ambrosio, aliisque ,*  
*qui inter pueros pueri Præsules agebant.*  
*Tu de Te Viro Puer vaticinatus es ;*  
*( nec vaticinium fefellit eventus ; )*  
*in Te puelo jam Viri pignus tenebamus ,*  
*Te tvi, certè futuræ tuæ Magnitudinis*  
*tanquam obsidem præbuisti*  
*jam tum ab incunabulis :*  
*( nec sponsioni defuit fides suo tempore ; )*  
*de Te præjudicavit Infantia ,*  
*Te prænuntiavit Pueritia ,*  
*Te præsagiit Adolescentia*  
*in Parvo Magnum ,*  
*in Puelo Virum ,*  
*in Tenero Maturum ,*  
*& vel in cunis V I O L I S , R o s i s q u e n a t u m .*

## II.

Grammatices, Rhetoricesque elementa.

**S**VAM augurio brevi fidem asseruisti ,  
Tuæ vindex acerrimus.

Corn. Nep. *Pomponius , Vir suo tempore genere , comitate ,*

5

Et eruditione inter suos clarissimus,  
totam, quantâ florebat maximâ, scientiam  
acceptam referebat curis paternis:  
Eius enim Paren̄s, ut erat ipse litterarum amans,  
omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas  
ornari potest, Filium erudivit, Virisque  
tradidit erudiendum doctissimis.

Hoc Tū præsidio destitutus fuisti,  
VIR DOCTISSIME,  
utroque Parente orbatus Puer:  
Verūm, ut magnis ingenii evenire solet,  
quæ adversa quæque ut plurimūm in rem  
convertunt, & utilitatem propriam;  
tantam jacturam consecuta est non ignorantiae,  
(ut in aliis sexcentis contigisset)  
sed scientiæ tuæ Magnitudo:  
hæc orbitas acriùs tuam acuit solertiam:  
nimirum TIBI ipse, licet Puer, licet Pupillus,  
TUI, tuarumque virium bene conscius,  
ad TE unum configisti;  
insitam illam ingenii vim excitasti,  
admirabilem illum naturæ ipsius habitum,  
ac in TE fermè divinum provocasti:  
Parentum sollicitudinem supplesti providus;  
Tutoris, etiam Pupillus, erga TE ipse

A ij

*quasi vices implesti;*  
**TIBI ipse Parens, TIBI ipse Tutor,**  
**TIBI ex TE ipse omnia factus,**  
*qui TIBI abundè sufficias VNVs.*  
**Vt sic summa illa, quam tenes, rerum omnium**  
*peritia non externis, aut etiam domesticis curis,*  
*sed tuæ VNIVS industriæ deberetur.*



*Vix eras ingressus grāmaticum, rhetoricumq; puluerem:*  
*hanc utramque disciplinam non possum*  
*non connectere, de TE dicturus:*  
*quanquam enim altera est ab alterā*  
*& naturā, & tempore, & facultate,*  
*& studio, & Præceptorum varietate,*  
*rerumque dissimilitudine*  
*per se distincta ac segregata;*  
*& quod majus est, ab Omnibus non nisi*  
*distinctè & separatim apprehenditur:*  
*hanc TV tamen utramque simul aggressus es;*  
*campum sanè spatioſſimum,*  
*sed dignum TE, licet Puerο;*  
*& utramque aggressus es*  
*tantā ſedulitate,*  
*ut utramque apprimē callueris;*

tantâ felicitate,  
ut brevissimo temporis intervallo  
ex utrâque evolaris ad majora:  
Vix enim, ut dicebam, eras ingressus  
Grammatices, Rhetoricesque curriculum,  
cùm TE egressum audivimus,  
& ad Philosophica raptum.  
Vastum illud utrumque emensus es stadium  
tam exiguo tempore,  
ut nemo TE proficere potuisse crederet;  
tanto verò profectu,  
ut in eo TE hæsiſſe necessariò pluribus  
lustris contestarentur omnes.  
Scilicet quibus in rebus pernoscendis  
vix Aliis sufficient dimidiata sæcula;  
TIBI plus quam satis sit annus,  
mensesve pauculi.  
Primigenios illos litterarum anfractus,  
inamœnas illas elementorum salebras,  
tetricis nodis, ac spinis, fastidioque  
plenissimas cito, eoque inoffenso pede  
ludibundus decurristi;  
quæ jam tum erat præstantis ingenii tui vis,  
miraque docilitas, felicitas singularis,  
parque discendi facilitas.

Elementarios illos Mæandros ludenti,  
 ac triumphanti similis prætervolasti:  
 Nimirum tuus Te jam tum, etiam Puerum,  
 etiam ludentem ubique comitabatur triumphus:  
 TIBI enim verè fuit ludus Grammatica,  
 quæ Aliis merus est cruciatus;  
 verè triumphus,  
 quæ Aliis maximam partem est immanis scopulus.



Cicero.  
Livius.

Quam Alii non ineptè dicunt, ingenii vim;  
 defæcatoris Latinitatis Auctores  
 vocant, celeres animi motus.  
Tui sunt sanè quam celerrimi,  
 VIR ACV TISSIME;  
 mirâ enim non tam cursûs quam ingenii,  
 non tam corporis quam animi,  
 non tam pedis quam studii celeritate  
 præteriisti Rhetoricos flores,  
 FLOS Tv in paucis lectissimus;  
 omnemque illam politiorem litteraturam,  
 politioris omnis elegantiæ Cultor eximius;  
 ut sic ad studii & ingenii laudem  
 etiam gloria celeritatis accederet.  
 Doluisset sanè Disciplina eleganter

EG

9

Ornatè dicendi Magistra,  
sibi tam citò eripi Alumnum Principem,  
ni TE majoribus natum,  
superioribus destinatum,  
nobilioribus maturum vidisset.

Non licebat è scholis Critiæ, Aristarchi, Isocratis, &c. Plutarch.  
discedere ante pæctum tempus;

Nec vel mediocriter in vulgus  
exercitatus audire poterat,  
qui non impleto annorum numero discessisset.

Esto, valuerit conditio Isocratis,  
& Aristarchi tempore,  
quo TVI similes non passim visebantur;  
hodierno certè non valeret,  
in TE præsertim,

vel ipso etiam Isocrate judice;  
ipseque Critias, qui legem tulerat,  
Criticorum omnium morosissimus,

TE lege primus solutum pronuntiasset ultrò,  
cùm TE tam multa, tam perfecta,  
tam brevi tempore complexum vidisset.



Cæterùm, quod longè pluris ego facio,  
Celeritas discendi nequaquam obfuit

B

*discendorum multitudini ac perfectioni.*

*Multi multa, sed miserabiliter;*

*Alii multa quidem,*

*sed non nisi diutino tempore arripiunt.*

*Tu bene, Tu brevi, Tu multa consequutus es,  
idque ludibundo similis.*

*Istaque dum dico, nolim esse verba*

*duntaxat in aërem proleta,*

*nec factis comprobata suis.*

*Non enim incerto nuntio, aut rumore quodam  
adespoto, vel dubiâ fide auris, vocisue  
alienæ, quæ loquor accepi.*

*Multos perhibent fuisse disertissimos, eloquentissimos,  
in Latinis, Græcisque exercitatos;  
sed perhibent.*

*Alii non pauci dicuntur esse Historiæ, Juris,  
Philosophiæ, Theologiæ scientissimi,  
sed dicuntur.*

*De Te non sufficit perhiberi,*

*de Te dici haudquaquam nobis sat est:*

*amplius aliquid, majusque quærimus;*

*indubitatum testimonium volumus,*

*quod non volaticâ famâ, non rumore mendaci,*

*non vago illo, incertoque ferunt, aiunt;*

*sed oculis, sed auribus, sed judicio firmetur nostro:*

*quod audivimus, quod vidimus oculis nostris,  
quod perspeximus, id testamur.*

*Testor ego sane quotquot sunt in hac Urbe,  
qui T E abhinc decennium & amplius  
audierunt Philosophica, Theologicaque  
tam latine, tam eleganter, tam expedite,  
tam ornate, tam copiose pertractantem;  
ut audire se crederent Oratorem disertissimum,  
dum Tu Philosophum ageres aut Theologum:  
tantaque gratia, tanto lepore,  
tantis dicendi veneribus vim  
ac gravitatem argumentorum,  
rationumque pondera condiebas;  
ut e turbâ non pauci mirantes  
inter se mussitando quærerent;  
quomodo hic scit litteras, cùm non didicerit? Ioan. 7, 15.  
tam facundum scilicet, tam concinnum,  
tam venustum sermone videbant;  
ut unde tanta hausta esset facultas,  
meritò ignorant:  
non enim obtineri posse putabant  
tam exiguo temporis spatio  
tantam dicendi venustatem.*

*Atticus Latinus inter Græcos sic græcè loquebatur, In vita At-  
tici.  
ut Athenis natus, non Romæ videretur.*

B ij

Tv, CARDINALIS ERUDITISSIME,  
 Gallus inter Gallos ita latinè dicebas,  
 ut appareret in TE non ascitum quemdam;  
 sed quasi nativum esse sermonis leporem:  
 quasi non Parisiis, sed in gremio purissimæ  
 latinitatis educatus es.



Jam diu multumque desudatur  
 inter scientiarum Præpositos,  
 ut quæratur via aliqua ac ratio discendi,  
 quâ quam celerrimè perveniat ad peritiam,  
 propositum discendi finem;  
 Methodus scilicet, quæ teneri posthac,  
 quæque tanti fastidii, laboris, ac temporis  
 compendium esse possit;  
 longissimo tot inutilium circuitu remoto.  
 Sexcentas congerunt; Alii alias,  
 Singuli singulas obtrudunt.  
 Nihil ego lectorem moror, uno verbo dico;  
 omnes respuo, tuam VNIVS secuturus:  
 brevissima est, tutissima est:  
 quæ sunt duæ conditiones Methodi omnino probandæ.  
 Ac primò quidem brevissima est;  
 eā enim usus Tv IPSE intra minus ter semestre

273

13

ſpatium ad Philosophiam convolasti,  
necessariis omnibus instructissimus.


Deinde tutissima est,  
ut eventus ipſe abunde demonstravit:  
neque enim ad fidem dictis conciliandam aliquod  
exemplum aſcisco peregrinum aut inauditum,  
loco ac tempore à nobis diffitum,  
aut e Perūanis, vel Sinensibus monumentis erutum.

Res in manu est, hodierna est,  
ante oculos Omnia posita est:  
Regia vidi Navarra, & gratulata est;  
vidit Sorbona, & mirata est:  
vidit ac plausit Urbs amplissima Parisiensis;  
viderunt, & comprobarunt quotquot  
in eâ sunt Viri aliquo Dignitatis,  
ac Eruditionis titulo insigues.

Quod tantopere totam Urbem commovit,  
ut passim, quoties de methodo quærendâ  
incidat mentio, statim proponatur

DVCIS ALBRETENSIS Methodus.

Immò missi sunt, qui nomine Virorum illustrium,  
eorumque notæ non postremæ,  
ſcifitarentur, quâ tandem arte tam multa,  
tam brevi, tam accurate, tam distinctè  
didiceris, ut imitarentur.



B ij

Sed quænam tandem, ac qualis ista Methodus,  
 tam excellens, tam divina, tam publico  
 necessaria; tam diu multumque quæsita;  
 & à nullo præter TE inventa?

Cujus ope, quâ vix Alii ætate  
 norunt linguam maternam;

Tv Græcam tenebas, ac Latinam:  
 sciebas enim græcè Puer sic,  
 (ut hoc etiam per transennam insinuem)  
 ut obvio cuilibet Auctori Græco  
 Interpres accederes non pœnitendus  
 ex tempore.

Vtique dignus litterarum Imperio,  
 qui in utroque Puer excellueris;  
 utriusque linguam callere voluisti, qui utriusque  
 ut flores, sic laudes collegeras Puer.

Qualis ergò Methodus? & in quo tandem positâ?  
 ne eâ fraudemus publicum:

sentio enim neminem non a'vere id discere,  
 neminique fore non gratum audire.

Hæreo, non diffiteor, ad responsum:

VIR LECTISSIME,  
 TVAM esse certò scio;  
 Et hoc unicè gaudeo;  
 sed vel hinc, quia TVA est, video

vix esse cum ullo communicandam;  
 & hoc summopere doleo.

TVA est,  
 quia Tecum nata est, Tecum adolevit,  
 & Tecum, vereor, desitura est.

TVA est,  
 quia à TE VNO profecta est, TE Auctore prodiit,  
 tuis auspiciis floruit, TE Duce coronata est.

TVA est,  
 quia incoepio tuo digna est, progressu dignior,  
 sed coronide longè dignissima.

TVA est,  
 quia tuo Genio, Ingenioque perquam apta est,  
 tuæ Sedulitati accommodata,  
 tuæ Industriæ perapposita.

Neque tamen mens est Ingenio duntaxat  
 totum tribuere, Sedulitati, ac Industriæ:  
 scio enim Alios Ingeniosos, Laboriosos, Sedulos,  
 Exercitatos, Industrios esse non paucos:  
 Aliud ego quidpiam majus, sublimiusque perspicio,  
 quod mente forte comprehendere possim,  
 oratione certè non possim;  
 illud, quo plus silendo, quam fando dicimus,  
 solenne scilicet illud, NESCIO QVID,  
 quod totum tuum VNIVS est,

*quod tuo micat in Ingenio,  
in Sedulitate viget,  
nitet in Industria.*

*In quo si minùs posita est tota Methodi ratio,  
at ex eo certè efflorescat necesse est,  
ac mirum quantum splendescat.*

*TVA est,  
quia TE uno dignissima est,  
cùm per TE, & in TE uno dignissimè triumpharit.*

*TVA est,  
ut uno verbo rem complectar,  
quia Aliorum communis esse non potest,  
nisi fortè Tvi similium;  
at ubinam gentium Illi?*

Iuvenal.  
sat. 6. Rara avis in terris, nigroque simillima Cygno.  
Pauci, quos æquus amavit Iuppiter, &c.

### III.

#### Philosophicum Lyceum.

*VOLAMVS; sed quia TE volantem sequimur:  
volasti enim, VIR ORNATISSIME,  
pluraque discendo affecutus es,  
quàm ego dicendo complecti possim;  
plura Tv studio decurristi,  
quàm ego possim calamo:*

*Amænos*

277

Amænos illos, in amænosque floribus, ac spinis  
 distinctos campos vastissimos  
 citatiore gradu meditando peragasti,  
 quām ego ut cunque narrando valeam:  
 sequor tamen, eoque fidentius,  
     quod, TE Lyceum ingressum video,  
 in eoque posthac immoraturum paulò diutiùs,  
     consuetudini cedentem potius quām necessitati.  
 Adhuc ingenii tui non nisi scintillulam,  
     eamque vel levissimam excitaras;  
 sufficiebat enim vel levissima cumulatè:  
 ut vel hinc obiter advertamus, qualis,  
     ac quanta jam tum esset vel Tvi particula,  
         eaque postrema;  
 quā unā in inferioribus facultatibus  
     prælusisti Superioribus  
         præludio Tvi dignissimo;  
 quo plausum Omnia concitasti,  
     oculosque in TE, vel Tyrunculum, convertisti,  
 & quod pluris est, animos Omnia ac admirationem.  
 Hodiè verò vim aliquam exeris rationis illius,  
     cujus est Philosophia lapis Lydius:  
 namque parte Tvi contenta manet  
     vel ipsa etiam Philosophia,  
         quæ cùm totum postulet hominem,

plus quam tamen occupat totum;  
 at satis magnum putat vel Tvi dimidium.  
 Gradu quidem sublimior factus es,  
 studio nequaquam occupatior visus:  
 sive grammaticum, sive rhetoricum,  
 sive philosophicum limen terens,  
 aequo passu incedis, ut Hercules,  
 tuæ ubique, ut Ille, victoriæ securus:  
 pari utrobiusque tum animi, tum laboris  
 moderatione usus, plus consequeris,  
 quād Alii summā utriusque contentionē  
 adhibitā sperare audeant:  
 & verò quid in eo contentionē opus?  
 qui vel mediocri conatu nihil non evincat.



Horat.  
lib. 4.

Doctrina quidem vim promovet insitam:  
 sui sunt in homine naturaliter insiti quidam  
 quasi igniculi, qui se pro temporum,  
 ac rerum diversitate diversimodè prodant:  
 hos Alii animæ particulas vocitare solebant,  
 Alii atomos, ex quibus omnia constare vellent.  
 Mittamus dubia, & commento finitima,  
 ut certis hæreamus, ac exploratis.  
 Aliud Grammatica, aliud Rhetorica, aliud Dialetica,

Anaxago-  
ras, Epicu-  
rus.

279

aliud Physica querit in homine:  
hinc fit ut raro Omnes omnibus excellant:  
non enim datur Omnibus adire Corinthum;  
nec Omnes Melpomene placido videt oculo.

Tu singulis praestas, Tu universis,  
singulis addictus sectaris universa;  
universa complexus, perinde ac si  
non nisi singulis distentus esses.

Grammaticum egisti, quasi uni natus Grammaticæ;  
Philosophum, æque ac si Philosophicis innutritus;  
Theologum, ac si Te totum vendicasset  
suprema facultas.

Te, tuamque vim insitam pro conditione ac naturâ  
cujusque Disciplinæ attemperans,  
temperamento nobili, hoc est tuo;  
singulis praestans, excellens universis;  
quod Elogium divinæ Sapientiæ dignum,  
benè omnia fecit.

Marci 7.37,

Diuinis comparo; nec sane possim dignioribus,  
nec forte similioribus,  
de Te commemorans.

Herculis fatum erat ubique vincere:


tuum non fatum; (reprobas enim Christianè,)  
sed opera, sed laus est, ubique benè, ubique laudabiliter,  
ubique excellere, ubique triumphare:

Mamert. in  
Panegyr. ad  
Maxim.

C ij

20

necessitate es id quod es, sed liberali, sed laudabili,  
¶ quā solutus esse nolis, nec ullus Bonus;  
cūm à TEIPSE descisere non possis,  
hoc est à recto honesti tramite:  
in hoc Superis quām simillimus,  
qui quidquid agant, nunquam non  
excellere valeant pro jure suo;  
cūm à propriā nunquam possint recedere agendi formā,  
hoc est omnium perfectissimā, DIVINA.



'Antoninum Pium, Imperatorem dignissimum,  
semper laudandum, nec unquam satis laudatum,  
Virum aiunt fuisse formā conspicuum,  
Ingenio clarum, eloquentiæ singularis,  
& nitidæ litteraturæ.

Julius Ca-  
pitol.  
Ovid. de  
Ponto.

Ut cætera sint in TE quām simillima  
meritissimi Principis ornamenta;  
nitida sane litteratura non deficit.

Est TIBI & eloquii nitor ille, &c.  
Litteraturam extollant Alii, ut debent;  
ego litteraturæ nitorem non minoris facio.  
Neminem latet quanta sit fusa rerum obscuritas  
cūm omnibus Philosophiæ partibus, tum maximè  
quinque Porphyrii vocibus, quæ Vniversalia dicunt,

decemque Aristotelis, quas categorias vocitant,  
seu Prædicamenta;  
tanta est, ut vel in ipso limine non pauci  
ab instituto deterriti despondeant animum,  
densâ rerum caligine obruti.

Tu vero mediis, ut ita dicam, in tenebris  
tantâ Ingenii perspicuitate versatus es,  
tanto sermonis nitore,  
ut Tecum lucem, quocunque orationem inferres;  
nec unquam disputationem inires,  
nisi veluti circumdatus sole,  
cujus radios circumquaque procul diffunderes,  
discussâ penitus omni caligine.

Quæ suâpte naturâ per se se obscurissima sunt,  
ea ex ore manabant tuo suâ dissimillima,  
hoc est luce clariora;  
admirabili metamorphosi,  
præteritis sæculis inauditâ,  
sed Ingenii tui nitore dignâ;  
non ut Alii multi, qui ita confusè, ita perturbatè  
dicunt, nihil ut sit primum, nihil ut secundum:  
quasi sermone, qui lumen adhibere rebus debet,  
eo ipsi utantur, ut obscuritatem & tenebras afferant.  
At tuæ disceprationes, sive genus & speciem cuiusque  
rei definiendo explicares, sive suas in partes

C iiij

tribuendo, quæ vera, quæ falsa pronuntiares,  
 vel confutando repugnantia,  
 vel propugnando consequentia,  
 vel ambigua distinguendo;

Tuæ, inquam, etiam quotidianæ disceptationes,  
 etiam obviæ & imparatæ exercitationes,  
 ita erant de rebus abstrusis nitidæ,  
 de jejunis copiosæ, de intricatis expeditæ,  
 nihil ut planius, clariusve dici,  
 nihil plenius desiderari posset.



Augustinus proprio Marte dicitur, nullâ vivâ  
 voce Interpretis adhibitâ,  
 Aristotelis Categorias percepisse:  
 quod erat Adolescentis acumen Ingenii.

De Augustino accepimus,

de TE vidimus, de TE audivimus.

Magistri vocem non respuebas; sed ejus & vocem,  
 & sensum, & mentem sic in TE transfundebas,  
 ut concertationibus publicis ac privatis,  
 quoties in arenam descenderes,  
 non trimestrem, aut semestrem Tyronem  
 audire se crederent quotquot aderant,  
 sed Philosophum numeris omnibus absolutum;

*tuasque jam plenas laudes credidissent,  
nisi eas tantum incipere meminissent.*

*Quoties dicimus, toties de nobis judicatur.*

*et tuis velitationibus amplissimum referebas*

*Omnium de TE judicium, parque testimonium.*

*Loquere ut TE videam, vulgo dicitur.*

*Conscendebas pulpitum non ut rudis Tyrunculus;*

*Magistri vim in dicente mirabantur Omnes;*

*quæ tua jam tum erat rerum peritia,*

*tuum, etiam Tyronis, Ingenium*

*ad excogitandum acutum,*

*ad definiendum nitidum,*

*ad illustrandum splendidum,*

*ad explicandum solers,*

*ad concludendum expeditum,*

*ad omnes Philosophi partes paratum.*

#### IV.

#### Ethice.

*EAM præterire nequeo Philosophiæ partem,*

*quæ tua maxime est;*

*VIR INTEGRIME,*

*cùm sit de VIRTUTIBVS tota:*

*pridem moribus hic verbis explicas*

*Artem viyendi normam, morumque Magistrum, Virtutes in genere.*

Et Moderatricem vitæ, Iustique parentem:  
 Vt sibi sit pretium VIRTVS, pulcherrima merces  
 Ipsa sibi; nec opum ventoso crescere fastu,  
 Divitiis contenta suis; nec inanibus Aulæ  
 Promissis falli, vulgique per ora volare  
 Ambiat: infletis fortunæ impervia cunctis  
 Ictibus, ex altâ mortalia despicit arce.

*In Specie.* Nec Dea sola: choro graditur stipata Sororum,  
 Queis mens una sedet cunctis, sedet una voluntas,  
 Corruptos mores primævo reddere fonti.  
 Interea fraudes hominum, culpasque perosæ,  
 Optatam fixere tuo sub pectore sedem,  
 Quò variæ varios tecum impendantur in usus.


*Iustitia.* Indocilis temerare fidem, quam flectere possit  
 Non odium, populique favor, non gratia Regum,  
 IVSTITIA, utilibus rectum præponere, jusque  
 Cuique suum servare jubet, nec lancibus æquis  
 Insontes, Sontesque simul discrimine nullo  
 Pendere: sed meritis meritas decernere palmas,  
 Admissoque Reis condignas crimine poenas.

*Prudentia.* Consiliis, animisque potens PRUDENTIA, rerum  
 Ponderat eventus, longè causasque sagaci  
 Mente recognoscens, dicenda, silendaque dictat  
*Temperan-* Provida. TEMPERIES totum moderamine corpus  
*tia.* Frænat, & impuros fatagit compescere motus,  
 Subiectum

Subiectum castis imponens legibus Orbem.

285

Fortia vel timidis subdit quæ pectora VIRTVS, Fortitudo.  
 Digna Viris; tristi præsentis imagine mortis  
 Erigitur: Tellus quæcunque pericula, vastum  
 Quæcunq; æquor habet, per tot discrimina rerum  
 Nititur ad meritas, victricia præmia, Lauros.



*Lusit in Tvi, dum in Virtutum gratiam Musa:*

*Virtutis enim causa tuā est, tuaque Virtutis;  
 nec altera possit ab alterâ faciliùs  
 sejungi, quam à seipsâ.*

*Verbo cecinit quod Tv factō pridem exequeris:  
 sermone voluit describere characteres,*

*quos Tv moribus ad vivum dudum expresseras  
 Erravit, fateor, Musa; dum longiori circuitu  
 plures Virtutum formas persecuta est:*

*Tuam VNIVS effinxisse debuerat,  
 temporis ac operæ pretium factura.*

*Ut ut sit, de Virtutibus commodiùs differebas,  
 argumento sanè familiari, ac doméstico.*

*Alics non paucos facile appetet*

*peregrinos peregrina tractare;  
 nec suam tueri, dum Virtutis causam suscipiunt.*

*Ut multa, ut vera, ut meditata afferant,*

*longâ commentatione, ac studio eruditî;  
usu certè, & experienciâ  
rudes sunt ac imperiti,  
nec cordi semper consonat os.*

*Tv verò in re Ethicâ plura recondebas corde,  
quām ore proferres:*

*expertus scilicet loquebaris;  
duplicem è disputatione palmam referens,  
alteram solerti meditatione quæsitam,  
alteram morum integritate paratam:  
nec mirum si, quoties Virtutis partes tuendas  
susciperes, tam copiose differeres,  
cùm cordis eloquentia verba suppeditaret.*

*Enim verò sua est, (in Ethicis præsertim)  
non mentis solum, sed & maximè cordis eruditio:  
à quâ unâ pura puta manat Sapientia,  
& eruditos corde in Sapientia.*

*quâ cordis eruditione qui prædictus est,  
Is verè Sapiens dicendus est:  
cùm eam apprimè calleat Philosophiæ partem,  
quæ tota de moribus est.*

*Eam TE callere, cæterasque, ex quibus universa  
Philosophia constat, PRINCEPS INCLYTE,  
non obscure demonstratum est  
cùm alio quidem toto biennii tempore,*

27

tum ipso maximè decursu;  
cùm TIBI Regia Navarra  
Theatrum tandem aperuit amplissimum,  
in quo Tua excurrere posset industria,  
cognoscique philosophandi solertia,  
præsente augustissimâ omnium Ordinum coronâ,  
quæ TE mirari satis non poterat,  
tantâ rerum omnium peritiâ dicentem,  
tantâ sermonis gratiâ, animique præsentia,  
tantâ vi ac subtilitate argumentationum,  
tam luculentâ mentis perspicacitate,  
tantâ denique ingenii per omnia ubertate,  
quantâ nullum ante TE ferunt Alium  
in Aulâ Navarricâ dixisse  
PHILOSOPHIÆ CANDIDATVM.

V.

Theologicum Stadium.

PHILOSOPHICÆ Theologica successit palæstra,  
id est victoriæ victoria, triumpho triumphus,  
eò gloriosior, quò campus latior,  
quò materia nobilior, segesque uberior.  
Pace tuâ dixerim, adhuc ignorabaris,  
VIR SVMME,  
imitatus MAGNA,

D ij

quæ bac lege sunt in hoc Orbe,  
 minimè illâ quidem inauspicatâ,  
 ut raro se totis aspectablia sint:  
 dici nequeunt, ut nec aspici nisi per partes;  
 sicuti nec Deus comprehendendi totus.  
 Cognitus eras non paucis ornamentis instructus,  
 Græcis ac Latinis litteris institutus,  
 in Antiquitatis commemoratione versatus,  
 in Ecclesiasticis monumentis non peregrinus;  
 in rerum nostrarum, ac exterarum  
 cognitione permultus.

TE Virum minimè vulgarem Philosophia commendarat,  
 nominis famâ longè latèque diffusâ;  
 TE acutum, TE elegantem, TE disertum,  
 TE ingenii summi gloriâ præditum,  
 TE rectissimis studiis egregie eruditum,  
 TE suis præceptis ac institutis commonstrarat  
 copiosissimè imbutum.

Præterea TE noverant Omnes moribus suavem,  
 congressu facilem, consuetudine comem;  
 Tuis unicè charum, summèque reverendum,  
 nemini gravem, probatum Omnibus,  
 Omnibus spectandum.

TALEM ac TANTVM dum noverant,  
 omnia tua se nosse putabant,

29

quia plura in homine esse posse non credebant  
Virtutum ac laudum insignia.

285

TOTVM tamen non noverant,  
quia laudatis partibus explendis abunde sufficiebat  
pars TVI vel unica, ~~vel~~ nec <sup>nec</sup> supra.  
Vide QVALIS, ac QVANTVS tandem futurus sis TOTVS,  
qui vel TVI DIMIDIO TANTVS extiteris.

cum verò TIBI theatrum apertum est  
& concursu frequentissimum,  
& celebritate ornatissimum,  
& honoris contentione amplissimum,  
& ingenii acutissimum,  
& iudicio gravissimum,  
& scientiae laude florentissimum:

Cum SORBONAM, inquam, ingressus es,  
dignum PALÆSTRITÆ curriculum;  
tum TE TOTVM explicuisti;  
non quod TOTVM desideraret Palæstræ industria,  
sed quod campum inveneras dignum TE TOTO.  
hic ergo certas PUGIL strenuus, hic vincis,  
hic ovas, hic triumphas,

Seu labyrintheos Triadis penetrare recessus,  
Quæque fatiscentes lassant prærupta Magistros,  
Mens sit; ut æternæ Monados, Triadosq; potestas,  
Majestasq; eadem tribus est, tribus una voluntas,

*Dens Vnus  
& Trinus.*

Personis distincta tribus Natura cohærens,  
O hominum nulli miracula pervia menti!

*Generatio  
Verbi, cogni-  
tione.*

Sive repercussâ fusas in imagine Patris  
Delicias narrare lubet, mentisque recurvos  
In se se radios, rādiis quibus emicat Alter,  
Ipse Deus, similisque per omnia; nec minor ipso  
Est Genitore suo Genitus, sed origine tantùm  
*Processio  
Spiritus s.  
amore.* Posterior. V E R B U M, sociatis ignibus, ipsum  
Cum Patre fœcundum, infœcundi flaminis auram  
Spirat, utrique parem Spiranti. Tertius etsi  
Ordine, nec Primo minor, inferiorve Secundo:  
Vnicus & Trinus, sibi primus & ultimus ipse.

*Verbum ea-  
refactum.*

Vera Dei soboles, verum de Numine Numen,  
Deque Deo Deus, æterni Patris unica proles,  
F I L I V S, æternūm ante omnes qui vixerat annos,  
Post annos almâ superi de sede Parentis,  
Virginis intactæ gravidam descendit in alvum:  
Incipit Æ T E R N V S; parvo contractus in antro  
Fit Puer I M M E N S V S, maternis clausus in ulnis:  
Verus homo, verusque Deus, fuit unus utrumque;  
Quò lueret proprio veteres in sanguine noxas  
Infidi populi, gentemque inferret Olympo.

*Patitur  
dira.*

Sic patitur, moriturque Deus; sic poplite curvo  
Fit Deus ipse Deo supplex; dum pressus agone  
Fert diras jam mille neces sine morte, cruento

Manantes sudans artus, morientiaque ora.

Sic dextram vinclitus ferali sistitur urnæ,  
Opprobriisque satur suffert fastusque superbos  
Pontificum, & Regum sannas, populique furores.

Sic intentantur discissis lora lacertis,  
Pectora dum crebro pulsantur verbere, dumque  
Spinea serta caput fodiunt, cerebrumq; cruentant.

Sic truncō affixus, manibus pedibusque trabali  
Transfossis cuneo, sacris jam ritè litatis,  
Indubitata salus hominum, tandem **EXPIRavit.**

Hæc dum Sorbonicâ circumplaudente coronâ  
Differeres, animis plenus, plenusque micantis  
Ignibus ingenii, meritis decorata triumphis  
Te comitabatur repetiti gloria facti.

## V.I.

### Gradus Theologici.

**N**ON satis erat esse Te Theogum,

**VIR MAXIME,**

*ni Magister etiam effes:*

*bic eruditioni tuæ gloriæ cumulus,*

*hæc debebatur Facultati Parisiensi laudis accessu;*  
*quam, quanti effes, quantique faciendus, minimè latebat*  
*tuis pridem edocēam triumphis Navarricis,*  
*qui Te apud omnes omnium Regni Ordinum*

*Moritur in  
cruce.*

Proceres celebratam, celebrandumque totâ Urbe,  
totâque Galliâ commendarant.

Quanti verò Tu vicissim sacram Facultatem faceres,  
vel hinc existimare licet, quòd ad peritiæ,  
quam spectabas, fastigium Te aliis posse  
quàm ejusdem gradibus venire non putasti;  
ratus TIBI ad PRINCIPIS decus aliquid tamdiu  
defuturum, quoad MAGISTRI titulo insignires:  
quod ut obtaineres, nullis vigiliis,  
nullis duxisti parcendum laboribus.

Hoc animi tui propositum quàm Te dignum fuerit,  
quàm Superis acceptum, quàm cunctis Facultatis  
Magnatibus gratum, nihil attinet dicere.

Annuere certè, nec invitî, votis tuis Patres gravissimi,  
eòque propensionibus animis annuere,  
quòd jam tum pleni erant, erectique spē de TE:  
nec sua fefellit spes Augures sapientissimos,  
ut exitus Omnibus demonstravit.

Petiisti quod à se doluissent non petitum;  
Concessere ultrò, quod denegare non volebant:  
nec, dum ut concederent supplicabas, poterant.

Magnum certè, gratumque spectaculum,  
hominum, Superumque conspectu dignissimum,  
Princeps Magistris supplex.

<sup>Trajan. ex</sup>  
<sup>Plin.</sup> Sempiternæ laudi datum est Imperatori augustissimo,  
Quòd

33

quòd Consulatum petiturus ad sellam Consulum  
accederit, Imperator Candidatus.

Pulchrū sanē erat Comitiis solennib<sup>9</sup> cernere Imperatorē,  
Principem, Pontificem maximum, Augustum,  
Cæsarem stantem ante Consules.

Stabat Imperator, sedente Consule, cunctis stupentibus;  
jurabat Imperator, præeunte Consule;

Omnes Comitiorum numeros obibat Imperator,  
moderante Consule:

in statu, & solennia verba, ac Imperatoribus ignota,  
nisi cùm Alios Ipsī adigerent,  
adigendum se præbebat Imperator,  
adigente Consule;

uno verbo supplex Imperator, præsidente Consule;  
sed hac insigni Moderatione verius Imperator,  
quā reliquā totā Majestate Imperatoriā.



Non nisi summa Summis imitanda sunt;  
pari Moderatione spectandum præbuisti  
tuum ad Sorbonicum limen accessum;  
inter gregarios Candidatos non dignatus es interesse,

CANDIDATVS PRINCEPS;

Supplicibus Supplex annumerari voluisti:  
quasi unus ē nobis factus es,

E

qui nobis omnibus Vnus præstabilior es:  
 Nihil amplius tibi, quam Turbæ licere voluisti;  
 dignus vel hinc qui Turbæ, qui populis superemineas:  
     quanquam in omnibus eximius eras,  
     in nullo tamen eximum haberi te passus es:  
 hac verissimâ persuasione firmatus,  
     non eum desinere esse Principem,  
     qui Candidatus esse occæperit,  
 nec quidquam de Principis amplitudine detrahi,  
     si quid ut Candidatus præstiteris:  
 immò hac unâ ratione posse crescere Viros summos,  
     si se infra se ipsi submiserint;  
 hocq; unum superesse fastigio Magnitudinis cumulando,  
     si de fastigio identidem descenderint:  
 eò Magnitudinis securiores, quò digniores;  
     eò autem digniores, quò moderatores.  
 Verùm ad cætera pergamus: vix enim Sorbonam  
     ingredimur, vix primum limen terimus;  
     Ecce rerum, quæ se menti turmatim  
         ingerunt, copiâ obruimur:  
 nam fato nescio quo, non infausto illo quidem,  
     factum est, nihil ut sit in nostro Principe  
         nisi magnum, nisi insigne;  
 nullum vitæ momentum, ne vel levissimum factum,  
     quod sit aut vacuum laude,

35

aut commendatione non dignum.  
 Vix primo limine salutat Sorbonam,  
 cùm totam Svi admiratione commovet:  
 vix primum venit in conspectum Patrum,  
 cùm miram in eorum animis Svi opinionem,  
 amorem, expectationem concitat:  
 simul aspectum & probatum illis est ejus ingenium,  
 ut quondam de Phidiæ signo commemoratum est. Strabo.  
 Vix ut Candidatus admittitur,  
 cùm in animis Omnium ut Doctor salutatur:  
 etiam in minimis Maximus est,  
 etiam supplex Principem agit:  
 nimirum ut vel unicus passus Herculem prodebat;  
 sic vel primus in Sorbonam ingressus, ut Gigantem,  
 Principem nostrum monstrat.



Primum quod Tvis specimen dedisti, illustre illud quidem,  
 nec rudis alicujus Novitii; sed Emeriti, sed Veterani,  
 ejusque exercitatissimi Militis, fuit;  
 cùm quatuor integerrimis, iisque severissimis Doctoribus  
 traditus es tentandi Tvi, (unde Tentativa,  
 ad quam aspirabas, Sorbonico idiomate nuncupata;)  
 Tvi, inquam, tentandi, ac periclitandi gratiâ,  
 tuarumque tum doctrinæ, tum ingenii virium.

E ij

Non tecum egere defunctoriè, nec, ut aiunt, molli brachio;  
ut aliquando fit, præsertim cum Nobilibus;  
tum quod legum erant retinentissimi;

Et ad gratiam, vel favorem minimè nati;  
tum maximè quia, quæ de TE ferebantur  
rumore nuntio, cupiebant ipsi per se se experiri,  
non ætatis vitio laborantes, ut senes creduli.

Campus patebat spatiostissimus,

TE, primoque TVI tentamento quàm dignissimus.  
De Angelis Angelus responsa dedisti,

non alio sanè quàm Angelico modulata genio.  
De divinis proprietatibus, ac perfectionibus tā subtiliter,  
tam eleganter, tam ad rem appositè differuisti:  
ut quæ diceres, non ab homine cogitata,  
sed divinitus hausta viderentur.

Obscuram Et involutam sanctissimæ Triados veritatem  
adèò in apertum, ac lucem disputando protulisti;  
ut hinc Et perspicacia, Et vis, Et ubertas, Et nitor,  
cæteraq; omnia ingenii tui ornamenta mirificè eluceret.  
Quibus rebus effecisti, ut qui tui censores venerant,

Prædicatores reverterentur:

Mirati sunt tua non responsa, sed Oracula;  
si claritatem excipias, quæ Oraculis nulla,  
responsis tuis inerat infinita.

tentabundi accesserant, mirabundi abscesserunt:

297

37

non tam studium in TE, quām studii vestigium aliquod  
quærebant Magistri sapientissimi;  
non tam eruditionem, quām eruditionis spem aliquam,  
qualis in candidato sufficit, qualis requiritur in Tyrone;  
Ecce studium consummatum stupuere,  
Et eruditionem perfectam demirati sunt:  
sat illis, superque fuisset si venturi fructūs flores aliquot,  
messisque secuturæ indicium deprehendissent:  
sed feliciter, nec inviti, decepti sunt;  
non signa, non flores collegere steriles: sed uberes  
gratissimæ messis fructus gratanter retulere:  
contenti fuissent dubiâ antelucani crepusculi luce,  
solis prænuntiâ: cùm ecce pleno sole irradiati sunt.  
Retulere proximis Comitiis de successu Viri gravissimi,  
quā par erat TVI mentione perhonorificâ,  
verbisque singularibus; nec aliis poterant de eo,  
qui non erat Vnus è multis, sed inter multos Singularis,  
cùm omnia in eo deprehendissent singularia,  
ingenium, subtilitatem, copiam, facilitatem,  
eruditionem tantam, quantam vix ætas capere posset,  
quantam Facultas vix unquam viderit.  
Nota est Facultas Parisiensis cunctis populis,  
nota est ejus fama ubique terrarum diffusa:  
noti eius Proceres, qui superioribus annis floruerunt,  
noti qui etiamnum florent Doctores, Sociique insignes,

Frequentia celebres, scientia celebriores,  
Orbis Magistri, iudicio incorrupti,  
omni exceptione majores.

Confitentur ultrò Doctores gravissimi vidisse se nullum  
suā ætate, nec audivisse Patrum memoria,  
qui Doctoris laurea insignitus Nostro suppar extiterit  
admirabilis ingenii vi, rerumque  
Theologicarum scientia incredibili:  
quod Facultatis judiciū quantū Serenissimo Candidato  
jam tum attulerit, sitque allaturum gloriæ  
in omnes sanè judicantes,  
Sapientum esto judicium.

## §. I.

## Vulgò dicta Tentativa.

**N**ON satis erat collegisse TE laudes totius  
Ordinis Theologici, omnes omnium Ordinum  
totius Galliæ plausus promeritum.

Gloriosius erat depugnatum tuo illo nupero  
umbratili congressu, quam ut latere  
diutius tanta Virtus posset.


Decebat ex umbraculis in pulverem ac Solem,  
in aciem citius, & campum apertum  
prodire tam eruditum Athletam.

Prodiisti, VIR SINGVLARIS,

39

299

nec impar animo, nec gloriæ dispar:  
in umbrâ lux, in luce radius,  
ubique Sol Tu VI simillimus;  
radios eiaculatus uberrimos in omnium oculos,  
quotquot aderant Principes, Cardinales,  
Archipræfules, Præfules, cæterique  
omnium Ordinum Viri Primarii:  
confuxerant enim Tu VI famâ acciti quotquot sunt  
in Galliâ Viri elegantiâ culti, ingenio politi,  
Doctrinâ celebres, auctoritate reverendi,  
titulis insignes, potestate sublimes,  
Dignitate Principes, gratiâ potentes;  
Corona omnium Vrbe totâ, totâque Galliâ;  
parum est, Europâ totâ, totoque Orbe ornatissima:  
quot Auditores, tot Proceres aderant;  
nec aliis opus erat condigne tam digno, tam grato,  
tam nobili, tam erudito spectaculo:  
in quo de ingenii, de facundiae, de scientiæ laude  
utrinque dimicaretur acerrime.  
Dimicatum est: quique VNVS Omnium ictus  
fortiter exceperas, ac retuderas fortius;  
VNVS omnium oculos & admirationem in TE defixeras,  
VNVS etiam omnium plausu exceptus es.



40

*Insolita certè facies, simul & augusta,  
PRINCEPS, qui insolitum, & terrarum Orbis  
augustissimum cætum dicendo teneat:  
qui maximè teretes & religiosas,  
elegantes & eruditas aures,  
(quarum est judicium delicatissimum,)  
ita impleat; ut nullus sit, qui quidquam  
judicet audiri posse libentiùs, certè dignius:  
qui Omnium moveat non approbationem solum,  
sed & admirationem & plausum.*

*Et verò quid Eo vel audiri, vel spectari possit  
aut festivitate, aut urbanitate, aut lepore,  
aut verborum concinnitate, aut sententiarum majestate:  
aut argumentationum vi, ac subtilitate,  
aut vocis suavitate conditus? quid exquisitus?*

*Quanta, Deus immortalis! non vitæ solum,  
& naturæ, sed orationis etiam comitas!  
quàm speciosa, quàm magnifica, quàm pura,  
quàm incorrupta latini sermonis integritas!  
quàm libera, quàm emendata, quàm elegans,  
quàm pellucens dicendi copia!  
quantâ facilitate, ac celeritate profluens!  
quàm nusquam adhærescens! quàm nihil aurum,  
nihil humile, nullum nisi loco positum verbum!*

*Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit.*

Suidas,  
Strabo.


sua

sua THEODOSIO nomenclaturæ divinitas,  
 sua pariter EMMANVELI constat;  
 nec nominis duntaxat, sed & eloquii,  
 tot titulis quot nominibus, certè pluribus  
 quām Theophrasto, qui ab oris & eloquentiæ  
 suavitate prope divinâ sic dictus est.

Xenophontem (quā lenitate fluebat ejus oratio)

Fingunt Musarum voce fuisse locutum:  
 malim ego, & verius, dicere TE non Musarum ore,  
 sed tuo Musas elocutas:  
 usque adeò facili & soluto fertur  
 verborum cursu sermo limatus;  
 ut nullum ex ore verbum exeat tuo,  
 (quod & de Platone traditur)  
 nisi aut grave, aut eruditum, aut perelegans.

Laëtius.



Jam verò in argumentis vel tuis confirmandis,  
 vel Adversariorum evertendis  
 quanta vis, ubertas quanta!  
 quām arguta laceffendi subtilitas!  
 quām acuta respondendi celeritas!  
 quantâ, quām eleganti urbanitate conjuncta!  
 siue vera à falsis distinguenda sint,  
 siue verisimilia ab incredibilibus disjudicanda;

F.

sive latens sensus definiendo explicandus,  
 sive obscurus interpretando explanandus;  
 sive capiendus Adversarius, irretiendus,  
 includendus, aut de statu omni dejiciendus:  
 sive argumentum, vel occupando quod opponi posset,  
 vel elevando quod contrà est, concludendum sit:  
 quanta in hoc toto genere vis ac facultas!

quantus verborum splendor!

quàm multiplex rerum copia, & quasi sylva!

quàm expolitus profundæ eruditionis delectus!

quis Eo de divinis sublimius, de humilibus excelsius,  
de magnis gravius, de minutis subtilius differat?

quàm omnia videat acutè!

quàm rem totam subjiciat oculis!

quàm nihil prætermittat eorum, quæ sint in lite!

quàm omnia aptè & fideliter appelleat!

non discerptis locis, non præpostoris temporibus,  
non confusis personis, non perturbato rerum ordine.

Quid de illo dicam imaginum animis impressarū sigillo?  
de pretioso illo rerum omnium thesauro?

ac fidelissimo disciplinarum Custode,

( tantum enim scimus, quantum meminimus )

de Memoriâ, inquam; quàm admirabilis,

quàm tenax, quàm divina in probationibus

accumulandis, in accumulatis aliorum evertendis;

303

in retexendis quæ ab Aliis congesta sunt:  
<sup>43</sup>

in Auctoribus appellandis, in locis indicandis,  
in testimoniis ad verbum recitandis!

Restat Actio, quæ quasi lumen est eorum, quæ dicuntur;

sine quâ tanquam in tenebris jacent cætera,

licet splendida, licet magnifica, licet enucleata;  
cui primas, secundas, & tertias tribuit Orator Atticus;  
quæ corporis quædam quasi Oratio dicitur,

cùm voce constet atque gestu:

quæ non mediocrem hodie gratiam in dicendo  
conciliat disputanti Principi.

Cùm hac in parte Artis in Eo sit nihil,

Naturæ sint omnia;

quæcunque tamen agit, dicitque,

ita sunt ex Arte dicta, factaque,

ut Ars tota videatur esse, quæ nulla est:

quasi nullus vocis sonus, nullus gestus, motusque  
corporis accedat, nisi veluti è mediâ disciplinâ.

Et verò quanta vocis, Orisque suavitas!

quantâ conformatio[n]e ac varietate temperata!

quàm lenis appellatio litterarum!

quanta in vultu dignitas! quanta in motu

venustas! quantum in verbis pondus!

nihil voce, vultu, gestuque elegantius:

in fronte majestas, & naturalis

*quasi quædam sedet auctoritas,  
summâ urbanitate, ac lepore condita.*

*nihil in voce notes absconum,*

*nihil in gestu inconditum aut redundans,*

*nihil in fronte vultuosum,*

*nihil in motu corporis ineptum,*

*nihil in reliquâ actione totâ non excelsum,*

*non liberale, non excellens, non dignum,*

*quod regias teneat aures & oculos.*

*Hinc erëcta corona, hinc suspensæ Omnium aures,*

*hinc defixi in TE Omnium oculi;*

*hinc crebræ assensiones, hinc admirationes,*

*hinc frequentissimi omnium Ordinum plausus;*

*tot Laudatores inveneras, quot Auditores:*

*irruebant certatim Viri Principes gratulabundi,*

*discedentem prosequebantur præconiis singuli singulis;*

*ut sic Omnium, maximè verò*

*intelligentium existimatorum judicio,*

*probatissimus è palæstrâ exires.*

*Tu verò onerari TE putabas tot laudibus,*

*tot gratulationibus obrui;*

*usque adeò aversus semper fuisti.*

*Ego quoque tuo morigeratus ingenio;*

*ne oneri videar onus addere,*

*importunus Orator;*

305

cæteris hujus loci supersedeo,  
ad alia, quæ multa vocant, perrecturus.

§ II.

Societas Sorbonica.

NON nisi laudes, non nisi victoriæ  
occurrunt de TE cogitanti,

CARDINALIS EMINENTISSIME,  
nec verò aliud possit, quamdiu tua premam  
vestigia, quamdiu tua persequar facta,  
laudum omnium segetem uberrimam,  
campumque victiarum fæcundissimum.

E luce refugis iterum in recessum; verùm ut Sol,  
qui cùm ubique sit plenus seipso,  
etiam cùm ad opacas deflectit noctis tenebras,  
omnia accessu illustrat suo.

Sic TV frustra lucem declines,  
frustra Sorbonicum secteris angulum:  
ni à TE ipse recedas, ubique fulgeas necesse est,  
ubique radiis cinctus tuis.

Tanti omnes amplissimæ facultatis gradus fecisti,  
ut nullum præterire volueris:  
ideo Societatis petitionem instituere placuit,  
ut sic non solum aliquando MAGISTER,  
sed & SOCIUS effe SORBONICVS.

In arenam itaque descendisti, privatam illam quidem,  
 & ab oculis semotam externis,  
 sed majoris longè plenam aleæ:  
 quanquam enim intra privatos parietes  
 hoc totum committitur prælium,  
 tamen quia de iisdem illis parietibus disceptatur,  
 idque non nisi inter ejusdem sortis Competitores,  
 & vel hinc Adversarios acerrimos,  
 præsentibus Agonothetis, quasi Decemviris,  
 Patribus gravissimis;  
 pugna, licet umbratilis, & domestica, adeò est  
 ut plurimùm pertinax, (in cruenta tamen)  
 ut sint, qui quamlibet aliam malint,  
 quam bunc unam Sorbonicam subire aleam.  
 Subiisti intrepidè, VIR PERITISSIME,  
 nec inani auso, irritove exitu.  
 de peccatis suberat argumentum,  
 materies TIBI quidem usu prorsus ignota,  
 sed contemplatione adeò perspecta,  
 ut de re omnium vilissimâ, atque contemptissimâ  
 acutissimè, accuratissimè, ac divinè penitus,  
 ut omnia, tuo more pronuntiares;  
 sive tua adstruenda, sive Aliorum dissolvenda  
 rationum momenta susciperes.  
 Dolebam equidem in latebris jacere tot egregiè dicta;

quanquam ibi quid in obscuro lateat,  
 ubi SOL tot inter SOLES MEDIUS splendeat,  
 quot TV micabas inter Magistros clarissimos,  
 qui TE non repugnanter Sociorum numero  
     adscripsere currente calculo;  
 suam rati, nec immerito, Societatem  
     non leviter cobonestari PRINCIPE SOCIO.

## §. III.

## Gradus, quem vulgo Licentiam vocant.

**A**LIVD ex alio quasi in immensum occurrit;  
 immensi enim, ac propemodùm infiniti,  
 certè longissimi, ac difficillimi laboris est  
     susceptum Theologicum; quis exhauriat?  
 Vix ingredimur, vix è carceribus emittimur;  
     fermè totum restat spatiū decurrentum;  
 ea certè pars, quæ sit & tempore diuturnior,  
     & labore gravior, & difficultatibus spinosior.  
 Deinde à Principe inchoari forte potuit  
     laboriosum curriculum, à nullo certè confectum est.  
 Adde valetudinis quondam graviter tentatæ periculum;  
     adde jam tum cumulate partam e re litterariâ  
         nominis famam, si qua talis est consecunda.  
 Adde denique partam scientiam tantam,  
     quanta satis superque Principem deceat.

Verùm his, aliisque id genus rationibus  
 Aliorum esto spes infringatur,  
 & languescat industria;  
 qui desperatione fracti, experiri id nolunt,  
 quod se assequi posse diffidunt.

Tu verò, VIR SUMME, longè aliam  
 TIBI semper duxisti vitæ rationem ineundam,  
 longè aliis rationum momentis regendam:  
 quibus propositis difficultatibus Aliorum studia  
 restinguuntur, iis magis ac magis acceditur tuum.  
 Laboribus deterrentur Alii; atqui non nisi  
 per ardua, aīs, ad magna quæque scanditur;  
 non nisi una, eaque ardua est  
 ad Virtutis & gloriæ decus via.  
 Tentatam objiciunt valetudinem;  
 tentatam quidem, sed non disiectam;  
 immò singulari divini Numinis beneficio confirmatam,  
 nec ex præterito labore minus commodam.  
 Nullo Principis exemplo ad meditatum calcem  
 pergere TE posse non putant;  
 egregium, proh Deus immortalis! terriculum:  
 quasi verò, aīs, non millies, etiam omnium  
 sanè existimantium judicio,  
 gloriosius sit præire quam subsequi;  
 aditumque ad laudem, & virtutem patefacere primum,  
 quam

309

49

quām ab Alio patefactum inire.  
Tuum VNIVS est id aggredi,  
quod ne tentare quidem audeant Alii;  
Tuum id exequi & perficere, quod ne forsan  
inceptum quidem ab ullo tuæ notæ fuerit;  
aut si inceptum, non certè perfectum fuerit:  
quasi TIBI VNI perficiundi laudem  
Omnes relinquendam esse judicaverint.  
Credemus a Principe decurri non posse  
tam dignum, tam nobile stadium,  
nisi decursum a TE videremus;  
quod vel in Principum, si non possent;  
vel in stadii, si nollent, contemptum cederet.  
Vno verbo Principis, atque adeo TVI dignum putas  
facere in commendationem sempiternam  
tum Principum, tum rei litterariæ,  
quod omnibus retro seculis inauditum,  
quod a nullo ante TE factū sit in Facultate Parisiensi:  
partam obtendunt, nec eam modicam  
scientiæ laudem & modum;  
obtendant sane, sed Aliis, non TIBI,  
cui fas esse non putas in secundis consistere  
cùm primæ vocant;  
nec decere dimidiatam gloriam, atque adeò  
imperfectam, hoc est nullam, excelsum animum;


G

qui cùm ad maxima quæque natus sit,  
 non nisi perfecta, summaque meditari debeat.  
 Egregia sane laus, & haud scio  
 an tuo etiam judicio tolerabilis;  
 semidoctum haberi, semidoctum monstrari,  
 semidoctum prædicari:  
Quasi verò Viri perfecti, T vi similis,  
 dignus fit, aut esse possit  
 semidocti Principis titulus.



Ratum ergò, fixumque est, aspirante Numinе,  
 ad calcem stadii pervenire:  
 quod TIBI felix, faustumque Omnibus,  
 fortunatumque sit.  
 At saltem compendiariam inire viam non recusabis,  
 quadriennio, quod superat, in biennium contracto;  
 maximè verò cùm id gratiæ Viris  
 notæ TIBI inferioris non denegetur.  
 Verùm stat animo id etiam ne cogitare quidem,  
 nedum tentare, nedum petere, nedum usurpare:  
Pompeius ex Plutar.  
 eam cum Viro, re & nomine Magno, putas esse  
 laudis & scientiæ viam rectissimam,  
 quam a Majoribus relictam acceperis:  
 Neque enim Ty is es, qui velis cæteris præstare

immunitate; & non potius labore,  
 assiduitate, & contentione:  
 Principis titulum adhibere ad fugiendum laborem  
 nefas TIBI semper esse duxisti:  
 non antè TE emeritum, quām emensum haberī vis;  
 indignum TVI reputans, gratiæ vel favoris  
 aut aliis omnino quām Virtutis & honoris  
 gradibus ad honoris culmen eniti.  
 Biennio fieri studia tua, id est laudem tuam  
 breviorē non gratiam ducis, sed pœnam:  
 tantum de gloriâ, quantum de studio  
 & labore detractum crederes;  
 nec immeritò; nullum enim fuit studiorum  
 tuorum tempus melius ac laudabilius  
 possum, quām hoc totum biennium;  
 quo reponebas providus ac diligens,  
 quod postea cū laude promeres.  
 Privatus ac TIBI relictus TE studiis abdidisti:  
 quo verò fructu, quo successu; non aliunde  
 velim quām ex TE ipso audiamus.



Aderat tandem biennii exitus, qui ad eam,  
 quam Licentiam vocant, aperiret ingressum,  
 Campum TVI dignissimum.

G ij

*I*terum probandus traditus es, dignusque judicatus,  
 non qui bienne curriculum inires Candidatus,  
 sed qui potius Laureatus exires.

*I*ntereà campum ingrederis quasi unus e turbâ;  
 in nullo T E passus Aliis anteire,  
 quām labore & diligentia:

*A*d levissima quæque primus accurris,  
 ad laboriosissima quæque advolas;  
 ratus nihil esse ducendum leve, nihil durum,  
 quod sit Ptincipe dignum;  
 nihil verò non esse dignissimum,  
 quod laude, quod labore conjunctum sit;  
 quod sit e re, & officio Candidati,  
 quod sit ex dignitate meritissimæ Facultatis,  
 quod sit ejus legibus accommodatum.

*P*otuisses facile T ALIS ac T ANT VS,  
 multis non ita necessariis eximi;  
 Patresque lubentes petentem exemissaent;  
 immò fuere, qui T E degustare voluerint,  
 & odorari non semel hoc in negotio:

*V*erūm nunquam non remotissimus inventus es:  
 noluisti privilegiarius audire Candidatus,  
 noluisti Doctor censeri prærogativus;  
 ne quod uni merito debere semper voluisti,  
 id gratiæ vel nomini tributum putaretur.

313

53

Ideò nihil prætermittis, nihil non suscipis,  
nullis non disputationibus ades,  
nulos non imples Candidati numeros,  
nullis non legibus cumulate satisfacis:  
in nullo pateris desiderari vel exemplum,  
vel diligentiam, vel præsentiam tuam;  
ad minutissima quæque Baccalaureorum munia  
descendis primus tantâ sedulitate,  
tantâ curâ, assiduitate tantâ:  
tanto verò fructu:

ut Omnium accendantur studia exemplo tanto.

Animadversū est ex quo Sorbonicas frequentas scholas,  
Sorbonæ faciem in aliam quasi commutatam,  
nec eam quidem deteriorem formam.

Aliorum antea langebat industria:

Aliorum refixerat pristinus discendi fervor:  
in Multis deferuerat laudabilis ille ardor,  
ad præclara quæque pernecessarius:

Non pauci otio torpebant, ac inertia desides,  
litterarum studiis aut abjectis penitus,  
aut extinctis in quorumdam animis.

Ex quo ades: nullus est, quin sibi quasi stimulus  
addi sentiat, & fateatur præsentiam tuā.

Exemplo tuo horum acuitur tarditas,  
illorum torpor, ac veluti veterius excutitur:

G ij

54

Scholæ frequentiâ & assiduitate celebriores sunt,  
Omnium animi imitandi cupiditate inflammantur;  
TANTI est præsentia TURNI,  
TANTI spectati PRINCIPIS exemplum nobile.  
Quanti sit, cùm aliis statis, ac quotidianis  
exercitationibus planum fecisti;  
tum verò maximè triplici illâ solenni concertatione  
quâ totum hoc biennii spatum absolvitur.



PRIMA est ea, quâ universam, quæ à scholis  
nomen habet, Theologiam complexus es;  
non, ut Alii multi, unum aliquem brevissimum,  
nec implicatissimum tractatum seponendo;  
aut pauca de multis, eaque facillima  
strictim delibando.


Nihil a TE celatum, nihil dissimulatum,  
nihil intactum, nihil intentatum,  
nihil omnino prætermissum est.

A reconditionibus, scituque dignioribus orsus es:  
non vaga quædam, & fere extra rem,  
ad pompam & numerum infarciendo,  
aut summa generatim capita dubie obtrudendo,  
ut non semel factitari videmus a Multis.

TU verò, PRINCEPS SCIENTISSIME,

controversiæ statum apertè subiicis oculis,  
 quid quidque sit, de quo ambigitur,  
 ac disceptatur, nitidè constituis;  
 quâque de re mentem tuam candide aperis:  
 explicate definis quid verum, quid falsum;  
 quid alteri, quid utriusque simile videatur;  
 quid probabile, quid probabilius.

Omnia denique uno in conspectu ponis clarissimè:  
 Non theses dicerem, aut brevem aliquam synopsim;  
 sed opus integrum, ac plane divinum,  
 divina omnia plenissimè complexum;  
 cùm ad instar sit justi voluminis,  
 immò sexcentis voluminibus præstet;  
 si minus mole, at saltem pondere;  
 si minus verbis, at certè rebus:  
 quibus qui fuerit instructus, non Is sane  
 inter doctissimos postremus habendus est:  
 cùm multorum voluminum, immò Librariæ  
 non mediocris, aut Bibliothecæ refertissimæ  
 scientiam animo comprehendat.




ALTERA copiosissimè continebat quidquid acutè,  
 quidquid eruditè, quidquid nervosè de ratione  
 Sacramentorum tum universim,

tum sigillatim uspiam traditum est:  
 tum etiam quidquid erroris ab Ecclesiæ ortu  
 ad nos usque in eosdem illos sacros gratiæ fontes  
 vel improbè excogitatum, vel impure blateratum est.  
 Quæ omnia tantâ copiâ, tantâ dicendi vi, tantâ  
 animi contentione disputando persecutus es,  
 ut T E sibi jam tum gratularentur Omnes  
 vere THEODOSIVM, divinitus datum  
 & in omnigenum hæreſeon interitum,  
 & in tutissimum fidei propugnaculum,  
 & in Ecclesiæ salutare præfidium,  
 & in Bonorum omnium columen opportunum  
 & in singulare rei litterariæ ornamentum,  
 & in Orbis lumen clarissimum.


Theodosius  
divinitus  
datuſ.  
Helych.

TIBI, quos tot titulis mereris annos,  
 largiatur Deus quæmplurimos,  
 servetque animum, quem largitus est.



TERTIA, quæ tanto operi coronis accessit dignissima,  
 non tam thesis, aut dissertatio dicenda est,  
 quæm totius Ecclesiasticæ Antiquitatis  
 plenissima commemoratio,  
 quæm exquisitissimum sacrorum fastorum monumentum,  
 quæm a nato Christo historia exactissima,  
 quæm

quām totius Ecclesiæ Annales accuratissimi;  
quibus quidquid per sena supra dena sæcula  
est unquam in Conciliis definitum,  
quidquid à summis Pontificibus constitutum,  
quidquid à Patribus in re fidei pronuntiatum;  
id totum servato contextè rerum, locorum,  
ac temporum ordine; quantâ poterat  
maximâ fide, studio, ac diligentia collegisti:  
nec scriptis solum, aut tabulis, typisue mandasti,  
sed in memoria, sed in animo insculpsisti;  
ut illustri experimento comprobatum est,  
cùm non tam Adversarii tecum de Laureâ decertarent,  
quām tui acumen ingenii, judicii vis,  
mentis sagacitas, memoriæ felicitas,  
rationis subtilitas, celeritas animi,  
verborum volubilitas, eloquentiæ flumen,  
formæ dignitas, actionis Majestas,  
Latinitatis, ac oris, totiusque corporis elegantia  
inter se de palma dimicarent ancipiti Marte.  
Nihil Lectorem demoror; verbo concludo:  
cùm Alios aliis disputationibus viciisses,  
hac unâ TE ipse superasti,  
Omnium rectè judicantium calculo.



## §. IV.

## Doctoris Laurea.

**I**NFINITA, quæ occurrunt, refecanda sunt:  
deserenda Sorbona, si finem velimus,  
aut modum aliquem statuere dicendi de TE:  
non antè tamen deserenda est, quàm audierimus,  
quibus ipsa TE verbis abeuntem, quibus affectibus  
jam Laureâ donandum prosecuta sit.

Rem non expressero, cùm dixero neminem unquam  
Doctorem, ex quo Facultas existit,  
fuisse majoribus ornatum honoribus;  
quia, quod longè majus est, nemo unquam,  
etiam sapientissimorum Patrum testimonio,  
ab ineunte Facultate inventus est majoribus,  
aut etiam paribus dignus honoribus.

Plus dico. Si quis iterum Angelicus Doctor, aut subtilis  
Scotus esset Doctoris insignibus decorandus;  
non intelligo quibus aliis vel pluribus,  
vel gravioribus, vel honorificentioribus  
usura esset Facultas meritorum testificationibus;  
nec foret certè ut aliis uti posset si vellet,  
quàm quibus TE prolixissime complexa est.

Res erat spectatu, audituque dignissima,  
( nec forsitan erit relatu indigna )

59

cum frequentissimo Senatu Sorbonico esset relatum  
de TE, essentque de more quæsita suffragia:  
Omnes ita certatim in laudes effusi sunt,  
ut nullum unquam intra tecta Sorbonica  
visum fuerit gratius, nullum lætius,  
aut eloquentius spectaculum.  
*Dixisses non Iudices, sed laudum Præcones;*  
*non Suffragatores, sed virtutis Prædicatores:*  
    *quot Calculi, tot Encomia;*  
    *tot Elogia, quot fuere Suffragia.*  
*Sorbonam crederes non amplius Theologiæ,*  
*sed Eloquentiæ nobile Domicilium;*  
    *non Doctorum, sed disertam Rhetorū Officinā:*  
*Multa ore, sed plura corde significabant,*  
    *quæ fronte, oculis, vultu, gestu,*  
        *motuque corporis emicarent.*  
*Et verò quo studio, quo nisu, quibus vocibus,*  
    *quo affensu, quo affectu gesta omnia?*  
*quanta in oculis, habitu, totoque corpore exultatio!*  
    *quanta in ore Omnium lætitia!*  
        *quàm effusa Omnium studia!*  
        *quàm inaffectionatæ voces!*  
*quas non adulatio effinxit, non favor invenit,*  
    *non timor expressit, non gratia suggessit:*  
*quanta in fronte, demonstratio!*

Hij

*quanta in oculis affirmatio!*

*quanta in vultu asseveratio!*

*Tot eos linguis putares loqui,  
quot variis gestiebant cordis affectibus,  
quot corporis motibus exiliebant.*



*Res mira! Viros gravissimos,  
ab Aula strepitu quam remotissimos;  
qui omnia præter artem adulandi norunt;  
qui Magnatum favores nec curant, nec ambiunt;  
qui gratiæ nihil, nihil non merito tribuunt;  
qui in omnibus religiosissimi,  
laudumque in primis parcissimi sunt;  
tam parum nihilominus fuisse parcus,  
immò tam effusos in nostrum Principem,  
ut Eivs prædicandi occasionem nullam  
non quærere viderentur.*

*Nimirum æquissimi rerum AESTIMATORES  
nec Eivs debebant suppressere merita,  
nec suos poterant æquitatis motus cohibere.*

*Vt imberitos horrent præconiis extollere,  
sic promeritos amant celebrare,  
nec à se Illaudatos dimittere.*

*At nullum unquam auditum est à Facultate*

721

tantis, ac tam exquisitis laudibus exornatum:  
fateor: at vero Nullus etiam adhuc inventus est,  
qui se tot Facultatis laudibus dignum præbuerit.

Da huic NOSTRO similem Principem,  
moxque par ejus merita commendatio excipiet:  
at quæso, quando hæc erunt?  
Ab ortu Facultatis hic VNVS extitit,  
quid amabò posthac audeamus?  
quid vero sperare debeamus?

Dum venturum expectabunt ventura sæcula:  
interea NOSTRVM nobis, nostroque sæculo  
gratulemur vere Phœnicem:

immò plus quam Phœnicem:

Phœnix enim saltem quinto quoque sæculo paret:  
NOSTRVM vero VNVM vix cuncta sæcula enixa sunt:  
Opvs sanè arduum, Opvs vere rarum,  
Opvs omnium sæculorum,  
Æternitatis Opvs.


Ergo mirari desinamus tot EVM laudibus,  
tot honoribus eximiis fuisse cumulatum:  
immò miremur non accessisse cumulatores:

Quid enim in Orbe toto laudabilius,  
quam PRINCEPS laude & honore dignus!  
quis Eo vero laude dignior!  
qui id VNVS affectus est,

H ij

quod asscutum scimus nullum,  
à Sorbonâ, altius repetamus, ab Orbe condito.

*Id V N V M tam egregium, tam eximium,  
tam gloriosum est; ut nullis possit  
unquam sat dignis laudibus celebrari.*



*Cùm in Omnibus, tum maximè in Viro nobili  
plurimum habet scientia commendationis:  
accedit enim litterarum disciplinis nescio quid  
splendoris & excellentiæ ex generis nobilitate;  
ut qui profapiæ, & scientiæ laude floreat,  
tanto ferè videatur intervallo cæteris hominibus  
anteire, quanto homo non homini.*

Cicero de  
invent.

*Immò Principem eruditione conspicuum  
tantùm aiunt indocto Principi præcellere,  
quantùm Hic Multitudini præstet.  
Speciosius sanè, dignusque hominum,  
superūmque oculis spectaculum in terris  
ullum vix puto videri posse,  
quām sit PRINCEPS doctrinæ radiis splendescens:  
SOL est in hoc Orbe inferiore, qui SVI admiratione  
Omnium in se oculos convertat;  
qui Omnia animos imitandi studio accendat;  
qui erroris tenebras usquequaque dispellat.*

63

PRINCEPS DOCTVS est in hominum genere,  
quod est in annuli palam inserta gemma,  
quæ annuli decus & bonus est,  
& innocens oculorum voluptas.

323

Orator Romanus duas esse fatetur Artes, quæ possint  
homines locare in amplissimo Dignitatis gradu;  
Alteram Imperatoris, Doctoris Alteram;  
ab hoc pacis Ornamenta retinentur,  
ab illo belli pericula repelluntur.

Alteram TVIS relinquendam esse duxisti,

PRINCEPS AMPLISSIME,  
nec eam male collocatam doleas:

Alteram in TVAM sortem cedere voluisti;  
nec eam suæ debeat pigere sortis:

Vt sic VNA esset, eademque in Orbe

PRINCEPS FAMILIA,  
quæ utrâque foret laude florentissima,

LITTERARIA BELLICA que.

Quemadmodùm ALII suas partes sustinuerint,  
nihil dico; me silente, EVROPA loquitur.

Quemadmodùm TV tuas egeris,  
non dixi; tentavi equidem.

dixit, dicetque SORBONA,  
quamdiu erit SORBONÆ nomen;  
dicet & GALLIA:

quæ VTRAQUE scientiæ tuæ Testes, & Miratrices,  
 TE inter Doctos NOBILISSIMVM,  
 inter Nobiles DOCTISSIMVM,  
 inter Utrosque MERITISSIMVM,  
 DOCTOREM PRINCIPEM;  
 immò, quod divinum est, inter omnes Principes  
 VNVM, PRIMVMque DOCTOREM  
 æternūm prædicabunt.

## VII.

## Ingenii, Doctrinæque nitor.

ANTEQVAM Palladis, scientiæ Presulis, limen egredior,  
 unum videtur nequaquam obiter prætereundum.  
 Multa diximus de Doctrinæ tuæ Magnitudine,  
 nonnulla etiam injecimus  
 de perspicuitate:

Verùm mihi planè factum satis non crederem,  
 si quod ego semper duxi decus eximium,  
 ac partem eruditionis non spernendam;  
 hanc strictim attingerem,  
 & quasi aliud agendo.

Fuere, suntque etiamnum, qui multa sciunt;  
 sed qui se ita in litteras abdidere suas;  
 ut inde, ( quasi è noctis, non ex Scientiæ plagiis  
 emergerent,) nihil nisi abdite, & confuse,

nihil

nihil clare` in conspectum valeant,  
 nihil in lucem proferre;  
 immò nihil eloqui, nisi caligine obvolutum:  
     non doctrinam, sed tenebras eructare diceret:  
 Ii, etiam si ingenii & arte valerent;  
     tamen in Doctorum numerum venire nunquam possent,  
     nisi forte` in Cimmeriis Academiis supplicarent.  
 Summa tua eruditio, VIR DIGNISSIME,  
     cum tantâ perspicuitate conjuncta est,  
 ut meritò dubitemus utri primas concedere debeamus:  
     cùm utraq; pro jure suo de palmâ contendere videatur.  
 De Scientiâ dictum est: paucis de perspicuitate  
     cùm dixero, utri palma fuerit adjudicanda,  
     velim sit eorum judicium,  
 quos hæc utraque laus non mediocriter commendat.



Non inscitè suo more Vir Sanctitate plenus  
     & acumine vocavit Sermonis radios.

Gregor.  
Naz. de  
Pace.


Tū, cùm partes tuæ dicendi venerant,  
     tam apte`, tam belle`, tam venuste`, tam urbanè`,  
     tam concinne`, tam copiose`, tam expedite` dicebas,  
 ut non natus, sed divinitus factus ad dicendum videreris:  
     & quod caput est ejus, quod modò contendimus;  
     tam clare`, tam explicate`, tam illuminate`,

I

*tam distinctè, tam dilucide,*  
*ut non plura verba, quàm radios vibrares:*  
*sc ut Sol opacæ noctis tenebras, spissamque nubis*  
*caliginem radiis suis subit, permeat, dissipat,*  
*ac tandem terras largâ luce*  
*complet & irradiat;*  
*Sic T v ingenii tui lumine,*  
*Scholæ lumen non ignobile;*  
*& Orationis tuæ, quasi solis, radiis,*  
*Sol ipse radiosissimus;*  
*difficultatum quarumlibet opacitatem,*  
*quæstionumque quantamlibet obscuritatem*  
*à mentibus, tanquam ab oculis dispellebas:*  
*Si quid implicatum sumeres explicandum,*  
*non voces videbaris sed radios,*  
*non verba sed lumina fundere.*

Ennod. lib.  
2. Ep. 19.  
*Lucem loqueris. dictum est acutissime.*  
*liceat mihi ijsdem T E affari verbis..*  
*non linguæ sed oculo subjacet lux:*  
*T v verò non tam vocem, quàm lucem emittere;*  
*non tam dicere, quàm illustrare credebaris:*  
*Nimirum quæcunque promeres, ita perspicue efferebas,*  
*ut radianti, quàm disputanti similior,*  
*non tam verba videreris in audientium aures,*  
*quàm lucem in oculos mentis ingerere;*

essentque apertiora, clarioraque quæ dices,  
quæ oculis passim objecta sunt.  
Erat enim Oratio tua ad instar crystalli pellucidi,  
in quam, tanquam in speculum nitidissimum,  
inspicere liceret apertissime,  
cùm rerum formas aliundè abstrusissimas,  
tum mentis tuæ sensa, vel verius mentem ipsam,  
quasi verbis impressam, aut quasi Solis radio,  
sic sermone tuo depictam atque descriptam.



*Verbum æternum splendor gloriæ Patris,  
candor lucis æternæ dicitur.*

Hebr. 1. 8.  
Sap. 7. 26.

*Scilicet ut cognitione, atque adeò lumine,  
splendore genitum;  
in splendoribus Sanctorū ante luciferum genui TE: Psal. 109.  
nihil mirū, si sit ipsum etiam lux & splendor totum.  
Dabit hanc, opinor, veniam Humanitas tua;  
si dum limen theologicum terimus,  
e theologicis adytis comparationem de promamus,  
sublimem illam quidem, & mirum quantum radiantem;  
sed vel hinc nequaquam abs re nostrâ.*

*Verbum tuum vere illustre, vere splendidum,  
adeò splendoris erat Verbum:  
nihil ut esset tam obscurum,*

quod non verbis tuis splendesceret totum;  
ac Te dicente, veluti praesente Sole,  
illustraretur penitus.

Sermo tuus non nisi radiatus ex ore profuebat tuo,

ut quidquid explanando attingeres,

id totum quasi radiis perfusum pelluceret.

Oratio tua candorem praeferebat Solis,

qui, ut Oculus Mundi, immensum hunc

terrarum Orbem longè latèque illuminat:

Sic Tu totâ Sorbonâ, μικρούσμα πανούλιος

Orbis si minùs terrarum, at certe Scientiarum

Epitome absolutissimâ collucebas:

Vbi dum tuam Theologi personam sustineres,

ijsque, quibus quasi redimitus, ut Sol, fulgebas

radiis, erroris nebulas abigeres;

quid aliud quæso videbamus?

(aptius fortè dixerim in re praesenti)


quid aliud audiebamus quam lucem,

quam splendorem, quam radios?

Et verò quid aliud audissemus ab Eo,

qui non nisi lucem loquebatur,

nec nisi radios fundebat ore?



Immò, si placet, majus aliquid & insolentius dico;

*nihil enim nisi extraordinarium & insolitum  
usurpare licet commemoranti de Eo,  
cui omnia insunt extraordinaria,  
omnia solito majora.*

*T E dicente non solum lucem audiebamus,  
(quā dicebas perspicuitate,)  
sed & voces videbamus tuas:  
cunctus autem populus videbat voces.*

*Loquentis Dei non tam auditur, quām videtur vox:  
nec mirum; quid enim aliud loquatur lux quā lucem?  
quid Sol amabō aliud quām radium?*

*quoniam Deus lux est. Sol Iustitiae.*

*Nimirum supremi Numinis ad Hebræorum gentem  
tam dilucida vox existebat,  
ut non tam vox quām lux crederetur,  
cūm quāvis esset clarior luce.*

*Dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux.*

*ō splendidam vocem! ō Verbum luminosum!  
quo tenebris ex abyssi facie depulsis,  
infinita hæc Orbis immensitas  
affatim momento illustrata est:*

*Nullus adhuc Mundo præbebat lumina Titan.*

*Summus rerum Effector quam primam  
protulit vocem, lucis plena fuit;  
vel, si mavis, lux ipsa fuit.*

*Exod. 20.  
18.*

*I. Ioan. 1. 5.  
Malach.  
4. 2.*

*Genes. 1.3.*

*Ovid. Met.*

Cùm primum locutus est <sup>7°</sup> Deus;  
lucem verius, quam vocem edidit;  
lucem locutus potius, quam operatus;  
undique radiantem emisit vocem,  
facem Orbis luculentissimam.

Quâ sorte nescio contingat, ut vix aliæ  
in comparando quam divinæ similitudines  
occurrant de TE meditanti.

Omnino Phosphorus erat sermo tuus,

VIR MERITISSIME,  
verè luciferæ exercitationes tuæ:  
lucem loquebaris, quoties aliquid vel probandum,  
vel refellendum, vel explicandum susciperes;  
quotque argumenta, immo' quot verba, tot lumina.



Multiplici oblectatione tenebamur TE audiendo:  
Auris mirâ rerum varietate capiebatur;  
Oculus tot luminibus pascebatur,  
tot radiis Orationis tuæ:

Animus tot, tantarumque rerum varietate  
& admiratione raptus gestiebat.

Alii dicendo aurem afficiunt;  
Tv & aurem, & oculum, & animum,  
& totum hominem defixum tenebas;

71

quia quo totus homo jucundissimè teneretur,  
abundè suppeditabas.

331

Præterea voce movetur auris non oculus;  
ut & oculus luce, non auris.

Tu artificio miro, Tu que unius digno,  
nec Naturæ legibus adstricto,  
& aurem luce, & oculum voce recreabas;  
dum luce clariora dicendo,  
nihil aliud quām vocalem lucem,  
aut lucidam vocem emitteres.

Os Pindari dicitur Thebas illuminasse.

Plutarch.

Vox tua quasi luce grava, quasi radiis fæta,  
totis splendebat septis Sorbonicis;  
quæ gloriantur etiamnum, & dum erit Sorbonæ  
vestigium aliquod, gloriabuntur non minùs  
de singulari Eruditionis tuæ  
splendore, quām generis;  
non minùs de divino ingenii tui lumine,  
quām de tam exquisitæ Doctrinæ Magnitudine.

## VIII.


### Cardinalitia Dignitas.

VERVM ad eam tandem partem veniamus,  
quæ totius hujus instituendi sermonis  
occasio fuit, ac causa meritissima,

CARDINALITIAM DIGNITATEM,  
 quā fulges, fulgeasque precor in ævum longum:  
 quo loco non possum non continuò exclamare in pia verba;  
Luc 5. 26. vidimus mirabilia hodie. Divinam usurpo vocem,  
 nec aliam possim, CARDINALIS ORNATISSIME,  
 dicturus præsertim de TE, in quo non nisi  
 Divina suspicimus, atque adeò mirabilia.  
 Et verò quid divinus, quid mirabilis, quàm TE,  
 id ætatis cùm sis, tantâ nominis claritudine celebrari?  
 quod audiētibus incredibile, ac miraculo simile videatur,  
 certè multis retrò sæculis inauditum:  
 reperiri scilicet Virum, qui culmen honorum attigerit,  
 cùm vix aliis cogitare, nedum tentare liceret:  
 Vix enim quintum supra vicesimum ætatis annum  
 egressus es, cùm mirante, lætante, comprobante  
 totâ Galliâ CARDINALIS renuntiatus es:  
 gradum sanè adeptus es quàm citissimè, præter ætatem  
 licuit, tardius tamen adeptus es, quàm promeritus:  
 meritis præcox, virtute præmaturus;  
 nimirum in TE merita præcurrebant annis,  
 licet non votis publicis;  
 antè siquidem fuisti dignus, quàm habilis tanto apici;  
 antè voce publicâ, quàm renuntiatione designatus;  
 ætate junior, virtute maturior:  
 annorum calculo multis inferior,

sed

sed meritorum suffragio longe<sup>1</sup> superior:  
 Adhuc ævi immaturus sed maturus dignati, ostendisti  
 cursum ætatis non expectandū in festinatione virtutis,  
 nec meritorum prooperationem annorū morā retardari.  
 quasi tibi ipse prævolasti, certè virtus præcucurrit ætati,  
 tantâ celeritate, ut non coævis modò,  
 sed & quasi tibi ipse longo intervallo præires,  
 Grandævus Puero:  
 Virtutis enim, quām ætatis gradus celerior.



Lege cautum erat priscos apud Romanos,  
 ne quis ad supremum Magistratum adiret,  
 nisi suo tempore; ne si celerius crearetur,  
 ætatis vitiis laboraret summa potestas.

Cicero,  
Livius.

Quod à suis Candidatis timebat Romana integritas,  
 hoc à TE veremur minime<sup>1</sup>, VIR SAPIENTISSIME:  
 renuntiatus es, antequām liceret per ætatem;  
 tuo tamen tempore, renuntiatus es:  
 caret enim tempore Virtus, fidemque facit

Philo.  
Cassiodor.  
lib. 5.

morum pondere, non ætatis diuturnitate.  
 Moribus antiquasti dies, præcurristi tempora meritis;  
 & quod ætati deerat, Virtutibus abundè compensasti:  
 Annorū spatiis junior, sapientiæ incrementis proiectior:  
 dierum quidem vetustate minor,

K

*sed Virtutum nobilitate præstantior.*

*Et vero quis nescius sit in re Virtutis & Meriti  
non requiri suffragium temporis, nec lustrorum esse,  
sed morum trutinâ ponderandos VIROS SVMMOS?*

Ovidius.

*Cæsaribus Virtus contigit ante diem.*

Alleg. Til-  
man.

*Quis nescius sit Virtutem nescire terminos,  
nec tempore definiri?*

*Quis tam rudis ac imperitus, qui putet,  
aut velit ad Dignitates sp̄ectandam esse  
solam ætatis prærogativam?*

*quasi vero Dignitates sint canorum duntaxat  
stipendia, aut solis annorum gradibus  
ad honorum culmina consendatur.*

*Deliramenta sunt hæc quorumdam senum,  
qui erroribus pleni, virtutibus vacui,  
nullum ad ætatis provectæ commendationem  
adducere possunt argumentum præterætatem:*

*nec habent quo se probent diu vixisse;  
aut potius diu fuisse, quam quod senes sint:  
non est tamen quod quemquam propter canos  
aut rugas putas diu vixisse;*

Senec. de  
brevit. vitæ.

*non ille diu vixit, sed diu fuit.*

*Hos ridendos censet Vir doctus, nec immerito,  
qui non à vetustate æstimāda putat hominum ingenia,  
sed à Probitate, à Justitiâ, à Mansuetudine,*

à Sapientiâ, à Sanctimoniâ, &c.

D.Hierom.

335

quibus qui pluribus instructus micat, licet Adolescentiæ terminos nondum egressus, Is diu vixisse dicendus est:  
Dignus qui senectutis privilegio gaudeat,  
quanquam posterior juventute:

Senectus enim venerabilis est, non diurna,  
nec annorum numero computata;

venerabilis est, digna est, pretiosa est; ( ut Græcis Latina concinant,) non quæ vitæ longitudinem  
annorum diurnitate metitur;

sed quæ meritorum suffragio nititur, quæ virtutum  
numero satellitio stipatur; Is qui fuerit,  
licet non diu fuerit, hunc diu tamen vixisse dixeris.

Sap. 4. 8.



Tu es, PRINCEPS DIGNISSIME  
vix Gymnasiorum subsellia deseris,  
vix è vitæ privatæ latebris emicas, vix publicæ  
lucem adis, vix Regiam salutas primo limine;  
Ecce PURPURATUS ades, nec ante tempus:  
licet enim brevi fuisti, diu tamen vixisti;  
quia vitæ brevitatem meritorum vi cumulaisti;  
canos præ TE ferens in lanugine,  
ætatis teneritudine junior,  
at Virtutum magnitudine senior.

K y

*si minus temporis antiquitate, at certe  
sapientiae maturitate proiectus:  
nam revera senior non ex longitudine temporis,  
sed ex laudata vita spectandus est.*

*Sap. 4.9. Ætas quippe senectutis, vita immaculata.  
en tuos canos, en tuam senectutem, meritis gravem,  
Virtutibus fætam, Omnibus venerandam,  
vitam immaculatam;  
hoc est Virtutum laude spectatam, multorum  
patrocinio commendatam,  
ornamentis omnibus decoratam:  
hæc TIBI facilem & illustrem aditum ad purpuram  
patefecit, hæc TIBI una suffragata est;  
hæc causæ tuæ patrocinatur, etiam TE silente;  
hæc apud Regem, hæc apud Patricios, hæc apud  
Plebeios, hæc apud omnes denique Ordines  
TE vel invitum prædicat & extollit.  
Hoc ambitu fastigium Dignitatis tuæ consendisti,  
singularis TV candidatus;  
hoc ambitu insidiaris superioribus Evangelicâ fraude,  
dignaque Ambrosiis, Augustinis, Hugonibus,  
Damianis, Cajetanis, Baroniis, Toletis,  
Salesiis, Aliisque Christiani Imperii Magnatibus,  
qui hoc laudabili dolo infulati,  
purpuratique rubuerunt:*

337

eodem rubescis  $\mathcal{D}$  TV, tantorum virorum vestigia secutus,  
 virtutes æmulatus; eas in TE colligens universas  
 juventutis flore, quas Alii cano capite vix  
 singulas excolebant.



Consummatus in brevi explevit tempora multa.

Sap. 4. 13.

*Sapiens de Sapiente commemorat, hoc est de TE,*

**ILLVSTRISSIME CARDINALIS,**

*Tvique similibus, si quos sit reperire.*

*Næ Tv dignus Palæstrita, qui honestæ vitæ curriculum  
 emensus sis, cùm vix Aliis ingredi datum esset.*

*Grande sanè miraculum in TE, vel à TE potius patratum  
 hodie cernimus, toti adhuc Philosophiæ inexpertum,*

*$\mathcal{D}$  inauditum sapientibus Græcis, ac Nostratibus.*

*Ratâ, ac ineluctabili serie fluunt momenta temporis;  
 nec in ullius est potestate vel præteritum revocare,  
 vel præsens sistere, vel futurum accelerare.*

*Tv dierum Moderator eximius,*

*Te mirus Arbiter temporis, ejus spatio prorogas,  
 contrabis, producis arbitratu tuo;*

*sæcula integra in dies, annosve pauculos coarctas  
 arte mirâ, dum plurium sæculorum merita  
 angustis juventæ terminis comprehendis.*

*Præteritum revocas, dum quidquid præteritis sæculis*

*K iij*

eximum floruit, hoc in TE uno facis,  
ut vividius reflorescat.

Præsenti moras nectere crederis, quoties tot ingenii tui  
monumenta edis momento temporis.

Futurum verò antevertis & occupas,  
dum eas jam tum possides egregias animi dotes,  
quas pauci obtinent longo pòst ævo.

Suæ sunt ut Artis, sic & Naturæ exceptiones;  
sua ut itinerum, sic & operum compendia.

Lentum est ut plurimùm, fateor, Naturæ opificium,  
in iis potissimum enitendis hominibus, qui nihil  
habent eximii, quo Turbæ superemineant;  
qui nihil nisi vulgare, ac quotidianum præferunt;  
uno verbo, qui hoc uno duntaxat cæteris animantibus  
præstant, quòd Bruta non sint.

In tales effingendos homines quasi semisopita incubit  
Natura, opus veluti dedita:

hinc prodeunt barbati pueri, infantes vetuli,  
qui diu quidem fuere, nec tamen vixerunt diu;  
quia nihil canitie dignum edidere penitus;  
quibus vix ævum sufficiat integrum, ut næniis exoluti,  
ut crepundiis extricati, ut ovo, quod aiunt, exclusi,  
ut puerorum ineptiis expediti videantur,  
pueri centum annorum.

At verò vires exerit universas in efformandos

339.

79

viros lectissimos, TIBI suppares;  
quos vix singulos singula ostentent saecula;  
qui vere Naturæ & Intelligentiæ opus sint  
absolutissimum, utriusque Miraculum.

Aristote.

In TE, VIR CLARISSIME, omni ex parte  
perficiendo, expoliendoque profudit Natura quidquid  
continet industriæ, celeritatis ac virium;  
Naturæque compendiis usus Naturæ Opifex in TVI  
gratiam; si minus momento temporis,  
ut in hominem Principem, Adamum; at saltem  
pauculis annorum spatiis in TE gestiit plenâ  
manu omninomoda congerere ornamenta;  
ut sic vere consummatus in brevi expleres tempora  
multa: annosque vix implens quinos  
& vicos, effes ætatis nostræ  
Breviarium nobile, Compendium temporum,  
Epitome saeculorum, Miraculum.

Ætati accedit decus ætatis non vulgare.

Pulchrum sane, magnumque est TE id ætatis  
factum esse CARDINALEM:  
sed meo quidem judicio longè pulchrius, majusque est,  
TE id ætatis dignum qui fieres, inventum esse:  
hoc unum nemo non plurimi fecerit, hoc ego unum

*in parte laudum tuarum maximâ libenter posuerim:  
hoc etiam Vnum, nec immeritò, Regem mouit,*

*ut TE Vnum Aliis omnibus anteponeret:  
Palam professus est Rex sapientissimus, cùm TE  
designaret, non tuorum, sed TVI unius habere se  
rationem: nec à se videri quemquam totā*

*Galliâ hoc in honore præferendum TIBI:  
quæ regalis testificatio elogium est absolutissimum,  
est enim, regale judicium pompa meritorum:  
nec verò triumphare possit augustiùs meritum,  
nec illustriùs commendari,*

*quàm tanto tanti Regis suffragio dignatum.*

*Ego quòque in hoc toto opere secutus exemplum Regum  
æquissimi, qui TE propter TE, non propter TVOS  
ad PURPURAREM Dignitatem evexit:*

*TE VNUM impræsentiarùm suscepi dicendum,  
hoc est MERITA TVA,  
hodiernæ Magnitudinis tuæ fundamenta solida:  
TE de TE, & à TE: de TVO, non de ALIENO:  
quæ TE constituunt, non quæ ambiunt,  
quæ intra TE, non quæ extra, commendaturus:  
quæ sunt veræ, germanæ, & incorruptæ  
commendationis partes.*

*Eâ de causâ consultò statuis supersedere iis omnibus,  
quæ à parentibus, à majoribus, à stirpe, à gentilitio  
stemmate,*

Cassiod.

stemmate, à Præfecturis, à Titulis, à Magistratibus,  
à Dynastiis, ab augustissimo supremæ potestatis

Dominio, aliisque sexcentis capitibus peti possent  
in Tvi, tuæque prosapiæ laudem amplissimam.

Eâdem de causâ nolui commemorare de vetustate

Gentis tuæ de TVRRE ARVERNIÆ,  
quæ annis abbinc ferè nongentis ab antiquissimâ  
supremorum Arverniæ Comitum,

Ducumque Aquitaniæ stirpe, rectâ, eâque

masculâ serie ad hoc usque tempus propagatur.

Eodem instituto silere placuit de tot Magnatibus,

ac Viris Generis tui illustrißimis, quos nec paucos,  
nec obscuros novit & suspicit non Gallia solùm,

sed & Europa universa;

Inter quos numerare liceat quinos, senosve summos

Pontifices; Patriarchas binos,

Alterum Alexandrinum;

Humbertum nomine de TVRRE ARVERNIÆ;

Antiochenum alterum, Guillelmum item de TVRRE.

Cardinales denos aut duodenos:


Heroas bellicâ laude memorandos innumerabiles.

Eodem consilio tacendum duxi de tot regiis

affinitatibus, & Connubiis, quibus Familia tua

atttingit Reges Europâ totâ potentissimos;

ut Galliæ, Navarræ, Hispaniæ, Angliæ,



*His omnibus abstinentium putavi, id expleturus, quod  
 eram initio professus, ut à TE uno non recederem;  
 idque exemplo Regis, qui in TE uno credidit  
 abundè se nactum, quod amplissimè præmiaretur.  
 Magnus es, fatemur simul & lætamur;  
 sed vel hoc uno nomine Major, immò Maximus es,  
 quia à TE ipse es id quod es;  
 totus TVI unius, nihil Alterius:  
 Non ut Alii multi, qui Sui parte minimâ sui,  
 toti fere sunt alieni:  
 qui sexcentis adminiculis erecti, vix paucis emineant;  
 qui Magnum esse, quoquo pacto id fiat, Magnū putant:  
 TV verò ad Familiæ tuæ Magnitudinem, tuam etiam  
 adjungere voluisti; idque verè Maximum est:  
 ut TE uno sublimis, jure superemineres cæteris,  
 TVI in etiis quasi Architectus nobilis;  
 ab eorum ratione quàm remotissimus, qui ad Munus  
 aliquod obtainendum, gratiam, favorem, ambitum,  
 simulationem, contentionem, omnia denique  
 conferunt præter seipcos, hoc est præter merita sua;  
 quibus si fiderent, propiores se merito  
 repulsæ viderent, quàm gratiæ:*

vel hoc uno nomine excludendi, immo` explodendi,  
qui nihil à seipsi afferant, nec afferre valeant  
aptum Muneri præter VELLE.

Aliud omnino factum est in re tuâ,  
VIR omnibus rebus SPECTATISSIME:  
repudiatis aliis omnibus, quibus nec paucis, nec levibus  
valebas adjumentis, in TE unum intueri placuit  
æquissimo Regi; tua VNIVS merita  
pendenda censuit.

Næ TV inusitatus planè Candidatus, qui rejectis aliis,  
TE VNVM Suffragatorem adhibueris,  
tuo VNIVS suffragio instructissimus,  
tuo VNIVS præsidio munitissimus,  
tuo VNIVS calculo potentissimus,  
patrocinio MERITORVM.



Modum facio huic loco, si priùs tamen unum indicaro,  
quod me, Bonosq; omnes gaudio perfundit suavissimo:  
TIBI nostro tempore contigit uni, quod fortè nulli  
contigerat multis antè annis,  
scilicet ut votis Omnia eligendus,  
Omnium approbatione gauderes electus.

Totâ hac Vrbe Parisinâ, quanta quanta est celebritate  
refertissima; totâque LUPARA, quæ dubio procul

Lij

Omnium est Orbe toto ingenii cultissima, judicio  
gravissima, auctoritate clarissima, dignitate suprema:  
hæc una vox Omnium personat,

non potuisse eligi DIGNIOREM TE;  
quo quid pulchrius, quid divinus audiri possit  
ad TVI commendationem, invenio nihil.

Non unius LUDOVICI hæc electio,  
non unius CLEMENTIS renuntiatio fuit:

Omnium, quotquot ubique sunt, qui TE norunt,  
hominum hoc idem judicium fuit:

tantum occupavit REX pro jure suo,  
fecitque ultrò, quod faciendum nemo

non jam tum peroptato judicarat:

nec vero tantopere cunctis factum placeret,  
nisi placuisset antequam fieret.

Exultabam animo, mibique vix temperabam  
hæc audienti; lætabar euidem non mediocriter,  
cum TE consecutum viderem præmium  
honoris amplissimum;

sed longè maxime gestiebam, cum TE promeritum,  
probatumque audirem voce publicâ.

Consequi Multorum est, promereri paucorum:  
at vero consecutum, promeritumq; probari generatim  
Omnibus, id totum, quantum quantum est,  
quod certè maximum est, id totum tuum VNIVS est:

& haud scio an cum ullo alio communicandum.  
 Magna certè laus à Rege TIBI Dignitatem electam,  
 Major, electam tantam; at multò maxima,  
 electum TE tantæ Dignitati ex Omnibus unum  
 totâ Galliâ, tantorum Virorum feracissimâ;  
 & electum, id ætatis, approbatumque  
 ab Omnibus universè:

Hæc populorum, Ordinumq; omnium quasi conspiratio  
 in TE approbando pronissima, ideoque gratissima,  
 præter quām quodd meritum in TE arguit singulare;  
 nescio quid etiam cœleste præseferat,  
 ut vel hinc ad credendum adducamur haud ægrè,  
 TE non tam humano, quām divino calculo  
 renuntiatum, (vox enim populi vox Dei;)  
 ad cunctorum gaudium, ad Ecclesiæ commodum,  
 ad Galliæ ornementum, ad bonum Vniversi.

Patere igitur pro tuâ cæterâ humanitate,

PRINCEPS CLARISSIME,  
 ut gratulemur primùm TIBI Dignitatem  
 consecuto, TIBI promerito,  
 TIBI ab Omnibus approbato:

Deinde Nobis, hoc est toti Ecclesiæ, Galliæque,  
 cunctis Ordinibus, ac populis universis;  
 qui TE, id ætatis cùm sis, in bonum publicæ  
 rei duraturum diu sperant & optant.

L ij

## IX.

## Vitæ Integritas.

MVLTA dixi: nihil me tamen dixisse crederem,  
 Si quod dicendum supereft, tacitus præterirem.  
 TE Philosophum, TE Theologum, TE Doctorem vidimus  
 PRINCEPS RELIGIOSISSIME,  
 TE ingenii, TE generis, TE ætatis commendatione  
 florentissimum audivimus;  
 TE Præfulem, TE Cardinalem, TE Principem suspeximus:  
 magna illa quidem per se se;  
 Verùm aliud ego desiderem, in TE præsertim,  
 quem omni ex parte perfectum velim,  
 & quem ægre patiar cum exceptione laudari;  
 maximè vero cùm Alios reperire fuerit,  
 similibus titulis conspicuos,  
 nec eos tamen laudabiles.  
 Quo impellor ad dicendum leve admodum esse,  
 parumque honorificum Encomii genus,  
 quo laudantur Viri sublimes,  
 non aliâ ratione quàm quia sublimes sunt:  
 quasi vero laudandi Sardanapalus, Vitellius,  
 Domitianus, Commodus, Caracalla,  
 aliaque id genus probrofa naturæ monstra,  
 quia rerum potiti sunt summâ cum auctoritate;

genus id ego crederem exprobrationis  
 verius quam laudationis:  
 mallemque lubens æterno damnari silentio,  
 quam Virum laude dignum laudare,  
 quod Titulis duntaxat, quod Magistratibus,  
 quod Dignitatibus insignis, Turbae præcellat.  
 Omnis veræ, & expressæ laudationis basis,  
 ac fundamentum, VIRTUS est:  
 hæc suum gloriæ pretium afferit,  
 hæc laudi debitam gratiam conciliat;  
 hac qui prædictus est,  
 Is vere laudabilis dicendus est;  
 qui vero destitutus,  
 et si sexcentis Dynastiis præsit,  
 cum reipsa sit illaudabilis,  
 ut illaudatus prætereundus est.



Hac parte nequaquam deficit Encomium nostrum;  
 quin vel hinc commendatiū assurgit:  
 ad faciendam verò fidem non animus est  
 argutulas, aut dubias, multo minùs  
 commentitias rationes adhibere,  
 solâ verborum inanitate plendas,  
 aut ad gratiam assentatorie confidas:

à quibus omnibus præterquamquòd abhorres,  
officiunt etiam Veritati, quam unam sequimur;  
¶ cui nihil cum assentatione, cum gratia,  
cum commentis commune est:

Quo ergo nitor, eoque firmissimo argumento,  
non aliud est quàm vox populi,  
unusque Omnia, qui TE norunt consensus,  
qui TE omnes uno ore fatentur & prædicant

VIRVM inculpatissimæ vitæ:

atqui inculpata vita instar est absolutæ Virtutis:

nec tam quid dicant, attendatur velim,  
quàm quid dicere possint aut debeant.

Sitque, si libet, ævi nostri censura severissima;  
quæ, ut fit, carpat citius quàm imitetur:  
est enim hoc veluti fatum rerum  
artis perfectæ & inimitabilium,

eas ut proclivius sit carpere quàm imitari,

Te nec, ut inimitabilem, æmulari;

nec, ut irreprehensibilem, carpere audeat,  
aut possit censorius hujuscæ sæculi pruritus.

Paucos, quos imitareris ipse, ante TE habuisti;  
qui TE imitentur, relicturus post TE pauciores,

qui carpant paucissimos, immò nullos,

TE omni censuræ, & obtrectationi imperium nactos:  
atqui sæculo omnium mordacissimo,

atque

Gellius  
lib. 2.

atque maledicentissimo intactum se  
præstare ab omni censoriâ virgulâ;  
esse quem Boni laudent, nec Mali culpent,  
id sanè grande VIRTUTIS elogium est.

Reperiri Virum, qui viridi juventâ,  
dum faciles animi Iuvenum, dum mobilis ætas; <sup>Virgil. 3.  
Georg.</sup>

qui corpore vegeto, viribus integris,  
prosperâ valetudine vigens;  
genere deinde clarus,  
opibus ac annis florens;

¶ quod majus est, fermè à puerō sui juris,  
atque adeò liberum in omnes late  
licentiæ gradus campum nactus;

(nam qui nihil facit licenter, cùm potest,  
Is nunquam voluit;)

Pacatus ad  
Theodos.  
Senior.

qui, talis cùm sit, profligatissimis,  
perditissimisque temporibus,  
corruptis vulgo, ac depravatis moribus,  
in mediâ scelerum omnium colluvione  
se integrum ab omni labe tueatur,  
ne vel levissimâ quidem aurâ vitii afflatus,  
nedum ejus fuligine infuscatus;

VIRTUS repulsæ nescia sordidæ  
intaminatis fulget honoribus:

qui inter blanda cupiditatum lenocinia,

Horat. 3.  
Carmen.

M

*inter omnimas peccandi illecebras  
vitam vixerit, vivatque intemeratam;  
qui audiat, parum est, qui reipsa sit  
& irreprehensus & irreprehensibilis;  
hæc summa Virtus, petitur hac cœlum viâ:*

Seneca.

Cicero.

Eccl. 31.  
10.

*Is qui fuerit, non ego eum cum summis  
Viris comparo,  
sed ut omni terrenâ contagione superiorem  
quām simillimum Superis Iudico;  
qui potuit transgredi & non est transgressus,  
facere mala & non fecit.*



*Potuit transgredi, sed noluit:  
Potuit, quod humanum est;  
sed noluit, quod divinum:  
Potestati voluntas defuit,  
quæ cumulatissima laus Christianæ politiæ.  
cùm in Aliis sæpe facultas voluntatem deficiat,  
quod supremum est consummatæ nequitiae culmen.  
Quis est hic? miranti, exclamanti, desperanti  
similis, sciscitur quis ille sit?  
vel potius, an talis vspiam sit?  
vix enim quinto quoque sæculo prodit  
tam RARVS PHœNIX.*

351

91

Quis est hic? non *alius* sanè esse possit,  
quām THEODOSIVS aliquis, divinitus datus:  
datus hominibus, quasi quoddam cœlestē munus:  
aut potius terris commodatus,  
quasi divinum aliquod depositum:  
non enim præstabilius ullum est,  
aut pulchrius Deorum munus,  
quām castus, sanctus, Diisq, simillimus Princeps. Panegyr.  
Trajan.

Quis est hic? & laudabimus eum:  
divino sanè præconio dignissimus Is est,  
qui omni humano fastigio excelsior sit:  
Dignus, cui Deus ipse obveniat Encomiastes,  
qui non nisi Divina sapiat, Deo plenus:  
Dignus denique, qui à Deo laudetur uno,  
qui conscius unus cùm sit laudati meriti,  
condignam possit laudem rependere.


Fecit enim mirabilia in vitâ suâ:  
verè nouum, verè mirabile, ac miraculo simile,  
inter Mortales hominem degere,  
nec mortali contagio infectum esse:  
in terrenâ concretione cœlestem vitam exprimere:  
ætate lubricâ de rectâ sede  
ne hilum quidem dimoveri:

PRINCIPEM non stirpis magis,  
quām Virtutis insignibus decorari:

M ij

pessimis exemplis non depravari,  
 inter vitiosissimos non vitiari,  
 deliciis non corrumpi,  
 aliorum casibus fortius sustentari:  
 Fortunæ munieribus non labefactari,  
 vitiositatis telis omnibus inaccessum.  
 Quis est hic? cuius est imago hæc?  
 tua est, VIR ABSOLUTISSIME,  
 TE TIBI ostendo;  
 digna sanè tabella oculis.

Herodian. Severum Imperatorem suspexit Antiquitas,  
 quod mollissimo sæculo vitam nominis dignam  
 egerit, & quæ Fabricios, Coruncanos, Fabios,  
 Metellos, Scipiones referret moribus.  
 Hæc tua laus, PRINCEPS INCORRUPTISSIME,  
 æmularis non ævi nostri molliculos, delicatulos,  
 græculos, luxu, deliciisque diffuentes:  
 sed priscæ disciplinæ Magistros,  
 sed illibatæ integritatis Vindices,  
 Ambrosios, Chrysostomos, Gregorios,  
 Leones, Borromæos, Salesios, &c.  
 hos cultu, hos vitâ, hos moribus exprimis  
 imitatus exempla.



Parum erat esse Te quām optimum,  
*nisi Tvos etiam videres utcunque non absimiles:*  
*id non ægrē admodūm affecutus es.*  
*exempli tui vi, ac efficacitate inexpugnabili:*  
*Principis enim fortuna hæc est,*  
*ut vel unius culpâ peccetur ab Omnibus,*  
*vel unius probitate sapient universi:*  
*genus est exhortationis efficacissimum*  
*facere quod ab Aliis fieri velis.*

Rex velit honesta, nemo non eadem volet.


Senec.  
Thyest.

nec sic infletere sensus

Humanos edicta valent, quām vita Regentis. Claudian.

Tuis in Te unum intuendum est,  
*ut vitam ad rectam rationis regulam dirigant,*  
*omnesque officiorum partes ad amissim expleant:*  
*non enim honesti, solum, justique regula,*  
*sed honesti, justique Minister factus es:*  
*hæc autem est conditio Principum,*  
*ut quidquid faciant, præcipere videantur:*  
*Tacita quædam est exempli vis & eloquentia;*  
*mutum licet, altius insonat*  
*non tam corporis, quām cordis auribus:*  
*intimis sensibus silendo blandiūs illabitur,*  
*sibi facit audientiam, mouet, impellit, reducit,*  
*inclinat, erigit, flexanimum est.*

Aggæi i. Factum est verbum Domini in manu Aggæi;  
 quid verbo cum manu est?  
 nimirum sua inest exemplo vox,  
 sua Virtuti facundia constat;  
 atqui disertiū factis, quam verbis eloquitur;  
 manu quam linguâ strictius præcipit.  
 rectè facere Princeps suos faciendo docet:  
 Usque ad eò inter homines hodie non tam ad naturæ  
 vel rationis, quam ad similitudinis normam vivitur.



Hac Tū etiam mirificè polles eloquentiæ vi,

VIR INTEGRIME,

bac silendo mones, præcipis, doces,  
 omniaque Oratoris munia feliciter imples:  
 enim verò Vita tua Morum est disciplina,

Virtutis exemplar, typus Integritatis,  
 undique expleta probitatis idea,  
 honestatis forma perfectissima;

Vita tua Censura est, eaque perpetua,  
 ad hanc diriguntur TVI,  
 ad hanc convertimur Omnes.

Hinc fit ut procul ab ædibus tuis faceant  
 non solum maledicta, rixæ, convitia,  
 petulantia, arrogantia, procacitas,

*aliamque atrocioris appellationis crimina;*  
*sed ne leviores quidem lapsus impunè ferantur.*  
*nec vitiorum quidem nævi tolerentur.*  
*Hinc fit, ut Domus tua Sicariis, Fugitivis,*  
*Parricidis, ac Facinorosis, ut alibi vulgò assolet,*  
*Asylum non pateat,*  
*nec Latronum sit, aut Grassatorum perfugium;*  
*quæ vice versâ soleat esse*  
*Tutela Innocentiæ,*  
*Sanctimoniacæ portus,*  
*Gymnasium Æquitatis.*

## X.

## Insignis Comitas.

**Q**VI suos, Domumque suam tam salutaribus  
*legibus constitutam regit;*  
*dignissimus Is est ex sacro legum Latore,*  
*qui populis, qui Ecclesiæ præsit:*  
*si quis autem domui suæ præesse nescit,*  
*quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*  
*Præs nec invitis, quia præeundo præes:*  
*præs verbo, & auctoritate,*  
*præis exemplo & opere:*  
*ideòque minime reluctantibus præs,*  
*quia pudor esset præeuntem cunctanter sequi:*

1. Timoth.  
3. 5.

non vi, non metu, non minis coacti sequuntur;  
 pudore, parum est, amore sequuntur:  
 quanquam & in amore quoque sua cogendi vis inest,  
     eò quidem jucundior, quò liberior;  
     eò vehementior, quò gratior:  
 Sicque honesta suadere, non cogere videris;  
     sic, quod naturā difficillimum est,  
     non nisi volentes emendas,  
     non nisi volentibus imperas:  
 Tua enim censura, tuaque Imperia  
     tantā suavitate condita manant,  
     tantā lenitate delibuta;  
     ut necessitatem imponant, sed liberalem;  
     & Obsequentibus vim inferant, sed amicam:  
 S. Leo. non enim durā ibi necessitate servitur,  
     ubi diligitur quod jubetur.  
     cùm non labor sit obedire, sed gaudium.  
 Meministi mitiūs imperantem audiri libentiūs,  
     certè promptiūs ad obsequium advolari;  
     & vero quid ni corda, si omnia vincit Amor?  
 Meministi Principis mentem tantò esse debere  
     benigniorem, quanto sit fortunā præstantior.  
 Meministi nullum esse animal morosius homine,  
     nullum magis ex arte tractandum;  
     ideo Artem Artium dici regere homines:


Pacat. ad  
Theod.

banc

357

97

banc Multi profitentur hodie;  
banc plures ambiunt, perpauci noruut.



Hanc Tv cum laude dudum exerces,  
    VIR HUMANISSIME,  
quia probè nosti non homines domari chalybe,  
    nec animos inflecti verbere,  
    nec voluntates teneri compede:  
Mansuetudinis hoc opus est totum,  
    atque Benevolentiae Victoria certissima.  
Summum in Tuos obtines principatum,  
    eumque efficacissimum, quia suavissimum,  
    quia Amore temperatum,  
    quia Benignitate delinitum:  
hac ratione multa imperas;  
    ( dixerim emendatiūs, rogas:  
        hortanti enim, monenti, roganti  
        similior es quam imperanti; )  
∅ plura impetas, quam rogaras;  
    quia à lubentibus, ∅ volentibus impetas;  
∅ qui tua gestiunt mandata prævertere;  
    nec mandata modò, sed ∅ nutum  
        si possent, ∅ voluntatem anteirent:  
immo` intima cuperent animi sensa præsentiscere,

N


Matt. 5. 44.

amorem inimicorum præcipiens,  
*tantum ait*, ego autem dico vobis,  
 diligit inimicos vestros &c.

*Ecce fulmina Christi præcipientis,*  
*ecce anathemata comminantis,*  
 ego autem dico vobis.

*quid mitius? quid amans?*

*quid interea validius ad suadendum?*



*Vt præcepti rigor obsequii vim enervat,*  
*minæque Imperantis Subditorum studia debilitant;*  
*sic Superiorum Benignitas secreto quodam illectu*  
*lenocinatur Obsequentium animis;*  
*durissima quæque ingenia emollit,*  
*& sacro quodam quasi philtro*  
*Obsecundantium amorem concilians,*  
*nullam non cordium arcem expugnat.*

*Hoc divino pharmaco Tuorum animos demereris,*  
**PRINCEPS SAPIENTISSIME,**  
*hoc quasi amatorio poculo eorum*  
*nec sentientium, nedum reluctantium*  
*TIBI corda devincis.*

*Urbium expugnatores aliis conatibus irritis,*  
*cuniculis agunt;*

quosque vi, & aperto Marte nequeunt populos,  
igne subterraneo evertunt incautos,  
calamitosissimo dolo.

Tu cordium expugnator scientissimus,  
vi missâ potius quam tentatâ,  
ad cuniculos configis tuos;  
(amicas fraudes, cæloque receptas;)  
ignes admoues non funestos illos quidem,  
nec hostiles; sed optabiles,  
sed amicos, sed perbenignos;  
non mœnium, sed cordium eversores,  
Amorem adhibes, Benevolentiam, Comitatem,  
Benignitatem, Mansuetudinem, &c.  
En Panopliam tuam, en tuam Machinam;  
quâ, (singularis Tu quidem Bellator,  
qualem nec olim Roma vidit superba,  
nec Græcia novit Olympica;)  
bellas sine sanguine, vincis sine cæde,  
triumphas sine Triumphatorum dedecore:  
Illa, quas invadis arces expugnas,  
illâ mentes debellas, illâ corda subigis;  
illâ Deum, hominesque triumphas,  
illâ inter nos EMMANUEL es,  
mitissimus mitissimo Deo non absimilis,  
nec indignus Magistro Discipulus,

*sicque effici, ut cùm gratiæ causâ nihil facias,  
omnia tamen sint grata, quæ facis.*



*Voluntas tua apud Tuos jussio est,  
nutus tui imperia sunt gravissima:  
cupienti TIBI exactius obtemperatur,  
certè libentius, certè alacrius, certè jucundiūs,  
quàm Aliis vel rogantibus vel jubentibus:  
TIBI enim subjici gloriōsius dicitur,  
quàm Aliis præfici:  
quod aliorum imperiis denegatur,  
hoc ultro nutui tuo conceditur:  
Arbitrium tuum lex est sacratissima,  
cui religiosius obeditur  
quàm alias Solonicis statutis,  
aut Lycurgicis placitis.  
Leges olim majorem partem per vim ferebantur,  
invitis ac renitentibus imponebantur,  
nec nisi terrore, minis, ac ferro vigebant;  
in æs, aut silicem incidebantur,  
hinc legum, & Legislatorum duritiem testatæ.  
TVÆ, VIR LAUDATISSIME,  
non bastilibus indigent, ut obligent;  
non satellitio stipatæ circumferuntur;*

incomitatae veniunt, suâ æquitate,  
 & tuâ Mansuetudine circumvallatae:  
 ideoque Omnibus perhumaniter accipiuntur,  
 Omnibus expetendæ, Omnibus amabiles,  
 Omnibus venerabiles, Omnibus salutiferæ;  
 quia conditæ non elato supercilio,  
 sed perbenigno consilio,  
 non fastoso imperio latæ; sed paterno,  
 eoque comitatis plenissimo animo;  
 non in marmora, sed in corda incisæ,  
 & vel hinc diutiùs perennaturæ.

Dei legem non duritia promulgavit Auctoris,  
 sed ratio summæ Benignitatis,  
 populi potius duritiam edomantis.

Legislatorem mansuetissimum, Deum, Omnis  
 lenitatis fontem primigenium æmularis,  
 mansuetissimus ipse verbo, & opere:  
 procul ab ore tuo peregrinatur vox illa,  
 arrogantiæ, & invidiæ plenissima,  
 præcipio, volo, jubeo, &c.

hoc idiomate turget arrogans fastus,  
 erubescit autem humanitatis Assertor,  
 & Cultor exemplo Christi;  
 qui rem omnium maximè arduam,  
 totius reipublicæ Christianæ verè cardinem,

Tertul.  
contra  
Mar.

N iij

quò volenti potiùs, quām mandanti parerent:  
 Nec sibi tamen totum vendicat Lenitas apud TE,  
 suas etiam Severitati partes relinquis,  
 cùm tempus & ratio postulat.

Duo naturā diversissima misces,  
 Comitatem & Gravitatem;  
 sed tam justo temperamento misces,  
 ut non sit Comitas sine Severitate,  
 nec Gravitas sine Facilitate:  
 sic ut difficillimum sit intellectu,  
 utrum TE TVI magis vereantur,  
 an ament.

Nec Tuis solūm charus es, sed & Aliis;  
 etiam Iis, qui vel arte, vel conditione,  
 vel facultate, vel instituto, vel ætate,  
 vel moribus à TE discrepare videantur:  
 disparēs enim mores, aiunt, facili negotio  
 disparity studia sequuntur,

Cicero. quorum dissimilitudine dissociatur Amicitia.

Tv pro tuā insigni Mansuetudine nemini non gratus,  
 nemini non jucundus accidis;  
 non æqualibus duntaxat, aut coævis,  
 sed & grandioribus natu;  
 quibuscum sic vivis, ut non facile sit judicare,  
 cui ætati sis aptior;

*communis infimis, par supremis,  
 Omnibus acceptissimus;  
 cùm omnes consuetudine tuâ tibi devincias;  
 nullusque sit, quin se sentiat congressu,  
 doctrinâ, & humanitate captum tuâ:  
 Difficile est autem ea, quæ commodis, utilitate,  
 & propè naturâ diversa sunt,  
 voluntate conjungere:  
 conjungis tamen sic, ut in dispari officiorum,  
 commodorum, ac studiorum ratione  
 par necessitudinis & amicitiae  
 ratio semper vigeat.*

*Quodque majus est, magisque mirandum,  
 eorum etiam retines usum, ac benevolentiam,  
 inter quos rerum intercedat vel æmulatio,  
 vel obtrectatio, aut etiam similitas.*

*Immò cùm difficillimum sit in Aliorum controversiis  
 ab Omnibus diligi, ab iis præsertim,  
 quorum sit vel postulatis abnuendum,  
 vel cupiditatibus resistendum;*

*Tuâ tamen illâ admirabili quâ naturæ,  
 quâ sermonis suavitate, & gratiâ,  
 quâ sunt omnia tua facta, dictaque condita;  
 consequeris, ut eos etiam ipsos, contra quos statuas,  
 -æquos, placatosque dimittas:*

N 7

discite à Me, quia mitis sum.

*Illâ denique populorum Debellatorem debellasti  
Debellator IPSE solertissimus.*

*Martio nomine notus est Europâ totâ  
Serenissimus PRINCEPS TVRENNVS,  
PATRUVS amantissimus :*

*quot præliis sit, quot Victoriis clarus,  
nemo nescit, qui TVRENNVM vel de nomine norit.  
tot VICTORIIS una, eaque maxima deerat,  
quâ de SE ipse tandem, erroreque suo triumpharet.  
triumphavit aliquando propitio Numine,  
plaudentibus, & exultantibus gaudio  
cunctis populis, ac Ordinibus universis.*

*Tanti Operis, ut & Voti tanti, quanta Tv ipse  
pars accesseris; nihil attinet dicere;*

*VIR HUMANISSIME,  
cùm certum sit secundum Deum & secundum Patruum  
tantam consilii mutationem TIBI VNI  
acceptam referendam esse.*

*Age verò; perge incæptum TV I dignissimum;  
cæterosque quos à recto tramite devios gemimus,  
ut jam tanto exemplo feliciter cæptum est;*

*ECCLESIAE aggrega.*



## XI.

365-

**Victoria de se ac Moderatio.**

**I**NTER tot Victoriae nec obscuras,  
haud est prætermittenda omnium clarissima,  
quæ suum Aliis pretium, & decus asserit.

Parum erat TE de Aliis triumphare,  
ni de T Emetipse pariter triumphares:

De Aliis facilitate, & humanitate,  
de TEipse moderatione triumphas:

quæ Victoria eò præclarior, quò rarior;  
eò autem rarior, quò difficilior:


Maximis enim rebus difficultatem Natura  
ipsa indidit; ut in omni arte vel studio  
nihil sit optimum, quin sit ipsum  
difficillimum, & maximè arduum.

Multi nostrâ, Patrumque memoriâ extitere  
Viri summi, qui Provinciis, qui Regnis,  
qui Exercitibus summâ cum laude præessent;  
nec sibi tamen ipsi imperare valerent:

sicque rerum Domini serviliter parebant,  
Dominatores gentium crudeli dominatu tenebantur,  
Domitores populorum turpiter serviebant,  
& Orbis Triumphatores cum dedecore  
miseri triumphabant;

Q

dum tot dominorum, quot cupiditatum  
 imperio humiliter obsequerentur:  
 Ut enim Is durissimâ servitute premitur,  
 qui Avaritiæ, qui Voluptati, qui Iracundiæ,  
 qui Odio, qui Cupiditati parere cogitur;  
 sic contrà qui vitæ suæ modum habet,  
 qui effrænas animi concitationes reprimit,  
 qui Arrogantiam, qui libidines coercet,  
 qui cæteras hujusmodi labes repellit,  
 uno verbo qui sibi ipse imperat;  
 Is verè Imperator existimandus est,  
 Is Victor, Is verè Dominus dicendus est,  
 qui sibi ipse dominetur,  
 qui se in suâ potestate teneat,  
 qui per vicacibus affectionum motibus imperet.



TVA hæc Victoria est, tuus hic Dominatus,  
 VIR per omnia MODERATISSIME,  
 semper enim duxisti Principis esse non mollitie,  
 deliciisve, sed temperantiâ, ac sapientiâ  
 privatis hominibus antecellere:  
 & quasi pro fortunæ gradu modus Virtutum  
 deberetur, nunquam voluisti Principatu  
 magis eminere, quàm Virtute.

Neque tamen ego Te velim, dum hæc commemoro,  
 Sapientem aliquem de Stoïcorum scholâ fingere,  
 fictitiâ suâ illâ apathia memorabilem;  
 qui, quasi quædam Marpesia cautes,  
 humanis omnibus affectibus vacuus,  
 nullo vel doloris, vel voluptatis  
 sensu tangatur, vel tangi possit.

Imaginaria hæc est Sapientia,  
 Stoicæ pæciles marmore digna.


Alios omnino Sapientes suos condit  
 Christiana porticus;  
 non truncis, sed cœlestibus similes:  
 non quos mouere, sed quos frangere,  
 vel vincere nequeat Cupiditas.

Horum ad numerum Te libenter adscribo  
 pro jure tuo, VIR SPECTATISSIME,  
 gaudeo Te non liberum, (neque enim  
 Te apathen, ut stipitem velim,)  
 sed superiorem omnibus animi commotionibus,  
 quibus dominari præclarious est,  
 quam omnino carere:

Carere Te dicerem, ni Te hominem scirem;  
 sic orationi, sic fronti, sic oculis, sic manibus,  
 sic omnibus tum internis,  
 tum externis motibus moderaris,

O ij

NULLUM UT FORAS EMICET VEL PERTURBATI ANIMI,  
 VEL COMMOTI CORPORIS VESTIGIUM.  
 QUOD IN TANTÂ HOMINUM, IN QUÂ VIVIMUS,  
 VEL IMPRUDENTIA, VEL LEVITATE,  
 VEL PERVERSTATE, VEL ETIAM IMPROBITATE  
 UT PER ARDUM, SIC PER MAGNUM EST.



Xenoph.  
in Cyrop.  
Plutarch.

CYRI & AGESILAÏ REGUM SUMMO IN IMPERIO  
 NEMO DICITUR AUDIVISSE VERBUM PAULÒ ASPERIUS.

REGIA CERTÈ LAUS, REGIOQUE ANIMO DIGNA,  
 ATQUE ADEò TUO Eò DIGNIOR,  
 QUÒ VIRTUTEM REGIAM PRIDEM IMITARIS STUDIOSIÙS,  
 & ASSEQUERIS PERFECTIÙS.

TUORUM APPELLO FIDEM, & EORUM OMNIUM,  
 QUORUM DIGNARIS UTI CONSUETUDINE FAMILIARIÙS;  
 BORUM NEMO EST, QUI TE AUDIERIT, AUT VIDERIT UNQUAM  
 EFFERRI NON DICAM PERTURBATIONE ALIQUÂ  
 PRÆCIPITI & IMPOTENTI;  
 ( QUAM BELLUXE PUTAS, NON HOMINIS PROPRIAM )  
 VEL ANIMADVERSIONE PAULÒ ACERBORE,  
 NEDUM CONTUMELIOSIS OBJURATIONIBUS;  
 SED NE VOCIS QUIDEM CONTENTIONE MAJORE,  
 NEC VERBORUM SONO ACRIORE.

QUO LOCO TUORUM AUDIRE MIHI VIDEOR

369

susurrum amabilem illum quidem,  
 sibi certatim non tam ore, quam corde pleno  
     applaudentium, ac gratanter dicentium,  
 Non solet irasci, neque enim moderatior Alter:  
     putas scilicet, (id quod etiam res ipsa est; )  
 Principi sat esse, posse irasci, irasci tamen  
     nunquam, etiam cum causâ irascendi:  
 hinc tua illa fusa tum universâ vitâ,  
     tum singulis actionibus Äquabilitas,  
 quâ TIBI perpetuò constans es in omni re,  
     nec à TE ipse unquam dissides ullâ  
         vel varietate, vel discrepantiâ.  
 Hinc idem rerum modus, unus idemque,  
     sibique semper similis vivendi tenor,  
 eadem oris, vocisque suavitas, idem vultus,  
     eadem frons, index animi,  
         sui nunquam dissimilis:  
 Imago enim animi vultus est, indices oculi.

Ovidius  
Trist.

Cicero de  
Oratore.

A Philosopho Oraculi voce, totius Græciæ  
     sapientissimo judicato graviter pronuntiatum est,  
 qualis cujusque animi affectus esset,  
     talem esse hominem, talem orationem, os,  
         vultum, reliquumque hominis habitum:


Socrates.

O ij

Eâ de causâ non paucos invenire est, qui pro variis,  
     quibus animo æstuant, concitationibus,  
     varios quasi in homines commutentur;  
 alios atque alios referant vultus pro aliis atque aliis,  
     quibus iutùs quasi assiduis & domesticis  
     perturbationum furiis agitantur:  
 nunquam eosdem videre, vel audire,  
 nunquam eosdem adire liceat,  
     nunquam iisdem de rebus cum iisdem agere:  
 modò faciles, mox efferatos sentias;  
     aliàs arrogantiâ impotenter elatos,  
     aliàs metu muliebriter abjectos:  
 modò cupidos, iratos, petulantes, superbos;  
     modò tristes, anxios, morosos;  
     vix unquam homines scias.

Non sic Euripus suis reciprocatur æstibus,  
     non sic coloribus variatur Chamæleon:  
 Chamæleontem ferunt obvios quosque colores induere  
     hic viridem, illic cyaneum,  
 modò croceum, modò cœruleum objici,  
     varium pro vario colorum objectu,  
 si candidum & rubrum excipias,  
     quos aiunt à Chamæleonte colores non reddi:  
 neque enim decebat insignes colores, candoris animi,  
     vestisque purpureæ nobiles indices,

quibus maximè decorus est PRINCEPS noster,  
 recipi à Chamæleonte, genuino symbolo eorum,  
     quos pingimus, hominum levium,  
     versipellum, inconstantium, pro loco,  
     tempore, ac cupiditate se se  
     vertentium in omnem habitum:  
 qui Chamæleonte mutabiliores,  
     nullius coloris sunt, quia omnium sunt;  
     dum nunquam sibi ipsi constant:  
 sed ut homines anxii, colores perpetuò mutant,  
     nec ullum unquam certum obtinent:  
 metu exalbescunt, excandescunt irâ,  
     invidiâ livent, mærore languidi flavescent:  
 tot in ore colores, quot in animo dominantur affectus;  
     quorum cùm Ministri, non Domini sint;  
 ad eorum etiam nutum & libidinem  
     fædissimè transformantur.



Apage impuros Dominos, trucemque dominatum;  
 apage tantæ mobilitatis turpitudinem;  
     ab eâ TE remotissimum lætamur,  
 PRINCEPS SERENISSIME,  
     nulos in TE timemus Euripos,  
     - nullas in TE gemimus

*Chamæleontis conversiones:*  
*nulla pavemus adeundi Tui momenta,*  
*non sunt captandi molles aditus,*  
*non observandi dies, aut horæ:*  
*momentis omnibus, quibus TIBI licet per otium,*  
*relinquitur accessus facilis & tempestivus;*  
*quia momentis omnibus idem es;*  
*horis idem matutinis, vespertinis idem:*  
*idem vacuus, idem districtus negotiis;*  
*idem publicus, idem privatus,*  
*semper autem humanissimus;*  
*agnoscis, agnosceris; eosdem nos, eumdem TE putas,*  
*par Omnibus, hoc cæteris MAIOR,*  
*quia MELIOR.*

*Tantæ Äquabilitatis causa una est, summum*  
*illud, quod in TE ipse obtines, imperium:*  
*credis enim, nec malè, nullum esse*  
*speciosiorem, & augustiorem dominatum,*  
*quam si quis animo dominetur suo:*  
*Eapropter omnes animi affectiones,*  
*quasi quamdam Rempublicam,*  
*optimis legibus constitutam,*  
*imperio regis tuo, nec regeris.*

*In medio Tui, veluti in solio regio sedens,*  
*supremus Imperator, jus dicis,*

sua